



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Consultatio XV. Portus salutis certus: ubi ostenditur. quòd anima verè  
Virgini devota quasi certa sit de salute sua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

debeam, erga Virginem Sanctissimam: Promisit mihi, sed id facturum in proximâ Consultatione nostrâ: Sed quod hæc ultima

futura esset, quam ad longum tempus inter nos poterimus habere: Et sequens fuit.

\* \* \*

## CONSULTATIO XV.

*Portus Salutis certus, ubi ostenditur, quòd anima verè Virgini devota quasi certa sit de Salute sua.*



Observavimus, valdè à longinquo accelerare quempiam ad nos gradum, qui non obscure demonstrabat vehementem conveniendi nos desiderium, ob vim, quam inferebat molli ac ponderi suo naturali: nescivimus primò, quisnam esset; nihilominus viciniorem nobis factum agnovimus, esse bonum illum virum Sanctissimæ Virgini devotum, quem paucis abhinc diebus defendimus contra eos, qui ipsius illudebant devotioni: Summè urgebat incessum, vixque coram nobis aderat, inquietudine ejus superante ipsius civilitatem, cujus non admodum expertus erat, quin otium sibi sumeret nos salutandi, incepit tremulâ nobis dicere voce.

Hem! quæso succurrite mihi, ferte mihi opem, totus sum extrame, perditus sum, nisi me adjuvetis: animus charitativi nostri Via-

R. P. Isaac Consultus, Tom. III.

toris mox tangebatur compassione; unde peramanter eum complexans interrogat ipsum: Quid tibi est, mi Pater? noli affligi; Ecce patatos nos, ut consolemur te: Tantò percussus sum terrore, respondit Senex, ut parum absit, quin moriar. Hem! Unde ergò venis? Replicuit illi Viator: Nescio, reponit bonus Vir; credo me fuisse in inferno. Hoc manè precabar Deum & Sanctissimam Virginem, cum præter morem aliquantò citiùs surrexisssem; nescio an dormierim, an animo defecerim, credo tamen me non dormissem; habebam bonas cogitationes de Sanctissima Virgine, & flagrabam desiderio, ut omnes honores rarent ipsam. Et ecce videbar mihi illicò (ò bone Deus, pavore emorior, dum recogito!) videbar mihi cecidisse in abyssum quandam, ubi nihil videbatur; audiebam quidem strepitum, at neminem videbam; descendebam ad-

Visio horribilis circa inimicos Sanctissimæ Virginis.

P p p huc



huc magis in imum, & audiui voces horrendas, enuntiantes talia, quæ erigebant mihi in capite pilos.

Unus clamabat, veluti rabiosus: Noveris MARIA, me non pluris æstimare te, quàm alias peccatrices; Credebam, diabolum esse, qui proferat ejusmodi blasphemiam. Non, dicit ipsi Viator noster, est Melancton, qui erudire est ausus tantam impietatem: alius ululabat velut annosus lupus, replicabat senex, & dicebat: quanta stoliditas asserere, MARIAM Virginem! Nõnne constat, ipsam plures habuisse filios, qui nuncupantur Fratres Domini in Evangelio? Nescio, unde venerit horrenda hæc vox. Cognosco illam bene, respondit ipsi Viator; ex infami ore Corinthi illa prodijt, uti edoctus sum è Sancto Irenæo. Audi adhuc alterum, qui hinniebat ut equus, prosequabatur bonus Vir, & cum bestiali hæc voce audiui plura verba tantæ insolentiæ, ut effecerint me pudore. Aspernor mille Augustinos, & mille Hieronymos, & ipsi non sunt digni, qui solvant corrigiam calceamenti mei; Tertullianus est fatuus; Irenæus & Blasphemus; Chrysostomus est garrulus & seditiosus; Hieronymus est hæreticus, nihil cantat nisi jejunia & Virginitatem; Ambrosius nihil facere novit, nisi orare & jejunare, Athanasius nihil est singulare; Basilius

Horribilis  
insolentia  
Lutheri  
contra San-  
ctos Patres.

nihil valet, est totus Monachus, non tanti illum facio, quanti capillum capitis mei. Alius quidam latrans velut Molossus respondebat illi: Ecce viri, quos invadis, hi mordebunt te usque ad sanguinem; & ipse exaltans vocem suam cum desperatâ rabie. Quando crepare deberent omnia, volo doctrinam meam æstimari Sanctissimam; respondendum est hisce lurconibus bono colapho supra nasum, qui contemnere meaudent opera: ita ut Augustinus & Cyprianus, vel etiam Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus, nisi conveniant cum meâ doctrinâ, juxta opinionem aliquorum, turpiter decipiantur; siquidem exploratum est mihi, ipsam venire de celo. Nihil amplius dicas, interpellat ipsum Viator, cognosco bene vocem equi tui; ipse est bestialissimus & insolentissimus omnium hæreticorum Lutherus; omnia ipsius scripta scatent ejusmodi deliramentis.

Hoc non est, quod maximè me exterruit, reponit bonus Vir, sed credebam terrore me extinguendum: auscultans vocem in morem tauri mugientem ac dicentem: MARIA peccatrix fuit & damnanda, ipsa commisit crimina, quæ ulturus est Deus supplicio æterno: hæc audiens formavi sæpius signum Crucis, putans omnia susque deque vertenda: alij clamabant ex unâ parte: ipsa fuit ambitiosa, arrogans & incredula; & alius de-

super



super horrendum intonuit : Ipsa promeruit , ipsa promeruit damnationem æternam. Nefanda hæc convellebant mihi cor , ita ut crederem , cessurum me satis in loco. Hem itane , Virgo Sanctissima , dicebam tremulus & plorans , inauspicatâ sorte dilapsus sum medios inter inimicos tuos ? Credo ipsos omnes hic in unum coijisse cœtum. Quamobrem credebam me esse in inferno.

Bene credidisti , concludit Viator , siquidem verè malorum æternorum est abyssus , quò præcipitati sunt omnes Sanctissimæ Virginis inimici. Sed mirari non debes , audivisse te ipsorum blasphemias : impietas jam extorserat illas ex ipsorum ore , dum agerent adhuc in vivis ; malitia conservavit ipsas semper in ipsorum corde usque ad mortem ; & rabies damnationis urgebit illos , ut prosequantur & estutiant illas in omnem æternitatem. Omnia hæc afficere te non debent , nec pavore , nec tristitiâ , sed potiùs gaudendum tibi est , cum scriptum sit : *Latabitur iustus,*

cùm viderit vindictam , quam sumet Deus de impijs , suasque lavabit manus in sanguine peccatorum ; ne metuas , hæc omnia te non concernunt , cùm servus tu sis Sanctissimæ Virginis : Siquidem communis est Sanctorum Ecclesiæ Patrum doctrina , quòd si quis in mundo concipere spem bonam possit salutis suæ , seque de hæc moraliter tenere certum , sit ille , qui verè devotus est Sanctissimæ Virgini.

Sæpiùs id audi , reposuit Vir bonus , jam semi consolatus , sed nunquam audi vi rationes , quibus Doctores adducantur ad dicendum hoc tantâ cum certitudine beneficio me afficies , illas mihi aperiendo , meumque confirmando animum in devotis erga Sanctissimam Virginem affectibus. Ecce quòmodo Viator noster sese insinaverit in pulchram & utilem Consultationem circa prædestinationem devotorum erga Sanctissimam

Virginem , quæ talis fuit , uti intelliges.

\* \* \*

### ARGUMENTUM.

*An verum sit omnes eos , qui devoti sunt erga Sanctissimam Virginem , certos omninò esse de Salute suâ.*

#### ARTICULUS I.

**N**ihil est , quòd tam potenter extimulet omnes Christianos ad devotionem erga Sanctissimam Virginem , quàm si ipsis dicatur ; devotionem hanc esse evidentem notam & quasi certam

P p p 2

Non cadendum est animo ob impia sensa impiorum.

Blasphemias hæreticorum contra hanc Sanctissimam Virginem Osculampidius Heigenbergus Brentius



tam prædestinationis alicujus animæ, illamque, quæ verè devota est Sanctissimæ Virgini, perire non posse, sed habere speciem quandam certitudinis de salute suâ. Ecce propositionem, quæ consolari & animare debet omnes Sanctissimæ Virginis servos & clientes. Verùm an ipsa consonat veritati, interrogat ipsum bonus Vir? an de super confidere & inniti liceat? Respondeo, inquit Viator, nihil verius, nihil certius esse hæc propositione, si bene intelligatur; sed nil falsius, nil mendacius esse, si intelligatur malè.

Hoc arrigere fecit aures virum nostrum optimum. Hem! quæso mi Domine, inquit magno cum fervore, declara mihi benè, quando hæc vera sit, & quando falsa; videtur id mihi allaturum quietem omnibus.

Quomodo  
intelligen-  
dum sit, de-  
votos San-  
ctissimæ  
Virginis es-  
se certos de  
salute.

Ut benè intelligatur, reponit Viator, sciendum est, in quo consistat vera devotio erga Sanctissimam Virginem: Hæc habitâ scientiâ, videbis quanto cyûs, quòd, quicumque illam habet, perire non possit; & observabis simul, quænam sit falsa erga Sanctissimam Virginem devotio, quòdque hæc non tantùm nullam conferat certitudinem de salute, sed potiùs hanc summo periculo exponat, si ponatur in eâ fiduciæ ac spei fundamentum.

Quid ergò proptiè est devotio erga Sanctissimam Virginem? San-

ctus Thomas docet, quòd devotio sit actus Virtutis Religionis, sed ne sumatur pro actu quodam transitorio, dicerem potiùs, quòd sit praxis vel exercitium virtutis Religionis. Hæc virtus tendit primariò & principaliter in Deum & secundariò in Sanctos. Ecce objectum ipsius: Quantum spectat ad subiectum, cui inhæreat, est illud pars animæ, nempe voluntas, quæ quando se devovet, & speciali affectu se consecrat ad honorandum Sanctos, exempli gratia, Sanctissimam Virginem, tunc devota est Virgini: sed ut verùm dicam, devotionem non habet, nisi afficiatur erga ipsam vehementer, & certò quodam cum ardore, quo reddatur prompta, diligens, fidelis, & dicerem, sollicita erga omnia ea, quæ concernunt honorem, servitium & gloriam Sanctissimæ Virginis: Et hoc est, quòd discernit veros devotos, ab ijs, qui tales non sunt, eòquòd in his videre non liceat nec affectum, nec fervorem, nec zelum.

Jam cum verùm sit, quòd devotio respiciat voluntatem, ipsamque ferventem reddat, evidens omninò est, quòd vera devotio nunquam sit sine amore; siquidem proprium est voluntatis amare, & anima, quæ amat Deum, & Sanctissimam ipsius Matrem magno & perfecto amore, est certa de salute. Affirmari igitur potest absque metu, quòd anima verè San-

A. M.

Obiectio  
ipius re-  
sponso.



Quissimæ Virgini devota, certitudinem habeat de salute suâ.

Obiectio & ipsius responsio.

Respondi ad hunc discursum, qui non satis firmus mihi videbatur; Assentior equidem, mi Domine, & concedo, quod vera devotio, quæ includit magnum amorem Dei, securam & certam reddat animam de salute suâ; Sed hoc nihil concludit pro devotione erga Sanctissimam Virginem; Id ipsum dicere possum de omni alio Sancto; Quod, si ipsi sim verè devotus, sim certus de salute meâ, eodè quod perfectum habeam amorem Dei, qui inseparabilis est à verâ devotione. Credo etiam, quod nota prædestinationis, & moralis certitudo salutis conjuncta sit cum devotione erga Virginem, sese desuper non ita fundare; sed volunt dicere, quod sese declarare servum Sanctissimæ Virginis, hujusque circumferre notas, portare exempli gratiâ Rosarium, aggregatum esse alicui illius Confraternitati, gestare scapulare, ipsius se profiteri mancipium, jejunare Sabbatho, qui dies specialiter consecratus est honori Sanctissimæ Virginis, habere ipsius imaginem in conclavi, erigere aliquod sacellum in honorem ipsius, adornare ipsius Altaria, & similia devotorum Sanctissimæ Virginis exercitia, sint signa & characteres animæ prædestinatæ, & quamvis hæc anima non ducat vitam adeò sanctam, magnam possit habere

confidentiam, hæc omnia plurimum sibi profutura ad salutem suam: non desunt enim nobis maximorum peccatorum Exempla, qui ejusmodi devotionum exercentes opera, non derelicti sunt à Sanctissimâ Virgine, nec æternum perierunt. Quid respondes ad hæc?

Respondeo primò, dicit mihi, verum esse, quod devotio perfecta, quæ includit magnum amorem Dei, tribuat omni animæ illam exercenti & conservanti usque in finem, salutis suæ certitudinem, quamvis devotio ipsius non feratur nisi ad Sanctum aliquem particularem, sed multò magis, quando fertur erga Sanctissimam Virginem, eodè quod hæc sit objectum multò absque comparatione nobilius, quam si ferretur erga reliquos omnes Sanctos & Sanctas in Paradiso, cum certum sit, omnem ipsorum multitudinem simul sumptam non adæquare Sanctissimam Matrem Dei.

Respondeo secundò, quod devotio imperfecta, quæ non includit perfectum amorem Dei, quæque valdè infirma foret, si ferretur solum erga quenquam alium Sanctum vel Sanctam, sit admodum potens, quando fertur erga Sanctissimam Virginem; potens, inquam, non ut tribuat aliquam salutis certitudinem, sed bonam quandam largiatur illius spem, potissimum, quando desiderium adest

Devotio imperfecta erga Sanctissimam Virginem non tribuit certitudinem, sed bonam spem salutis.



se convertendi, & exerceantur e-  
jusmodi imperfectæ devotionis er-  
ga ipsam à Deo veræ conversionis  
gratia. Rationes responsionis meæ  
efficaces mihi videntur & solidæ;  
exponam tibi illas, sitque penes te  
de illis iudicium.

**primaratio.** Prima est, quòd tota Sancta Ec-  
clesia à Spiritu Sancto directa non  
in vanum invocet Sanctissimam Vir-  
ginem velut refugium peccatorum:  
Refugium peccatorum, ora pro  
nobis. Haud me latet, JESUM  
Christum esse primarium & Om-  
nipotens Refugium peccatorum,  
à quo solo recipere possint salu-  
tem suam; sed verum quoque est,  
quòd Sanctissima Virgo sit secun-  
darium peccatorum Refugium,  
quòdque, cum soveat eadem in  
corde suo sensa, quæ Filius ipse  
Unigenitus, erga illos, ipsos amet,  
ipsorum misereatur, desideret &  
procuret ipsorum salutem, majori  
cum bonitate & potentia, quam  
omnes alij Sancti in cælo facere  
possent, si omnes suas simul adu-  
narent intercessionem.

**Secunda ra-  
tio.** Secundam meam rationem sta-  
bilio & confirmo dignitate in com-  
parabili Matris Dei, & dico, quòd  
Deus non voluerit ipsam esse Ma-  
trem Salvatoris peccatorum, nisi  
etiam voluisset ipsam esse Matrem  
salutis peccatorum: Hi sunt filij  
Benoni, quos parturit cum dolo-  
re. Sanctus Joannes dilectus di-  
scipulus Salvatoris nostri, & ad-  
optivus Sanctissimæ Virginis Filius,

insinuat nobis veritatem hanc ma-  
gnificam quædam ratione in Apoca-  
lypsi; postquam exhibuerat &  
proposuerat ipsam, velut magnum  
quoddam signum, quod apparuit  
in cælo: *Mulier ansilla Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capi-  
te ejus corona stellarum duodecim; cui mox adjungit: Et in utero ha-  
bens clamabat parturiens, & cruci-  
ciabatur ut pariat.* Quomodo hoc  
intelligi potest? Hoc esse & intel-  
ligi non potest de partu infantis  
JESU: Tota namque Ecclesia cre-  
dit cum Sancto Thoma, quòd non  
solum non pepererit ipsum cum  
dolore, sed maximam & purissimam  
cum voluptate. Intelligendum  
igitur est de alijs malis infantibus &  
filijs, quos portabat in utero suo  
per compassionem, quæ moveba-  
tur erga ipsorum miseras. Hi sunt  
peccatores, qui totidem dolores  
partus ipsi asserunt, quot commit-  
tunt peccata, quæque tamdiu his  
partus doloribus ipsam torquent,  
quoad pepererit ipsos Christo &  
vitæ gratiæ, potenti intercessione  
suâ: Donec formetur in vobis  
Christus.

Invenio tertiam quandam ratio-  
nem in hoc, quòd obligetur quo-  
dammodò ipsa amare peccatores,  
còquòd hi saltem extiterint occa-  
sio supremi, quem possidet, ho-  
noris, dum eòusque est evecta, ut  
esset Mater Dei. Si non fuissent  
salvandi peccatores, non fuisset  
Salvator in mundo, & consequen-  
ter

8. Augusti  
scem. de  
Allianp.  
1. Chryso-  
stom. de  
teed. & a-  
bore.  
2. Ephre-  
m. orat. ad  
Virg.  
3. Laue-  
Jull. fer-  
de Nat.

Revela-  
35.

Quarta  
tio,



ter esse non potuisset Mater Salvatoris. Sic ipsa ex specie quadam gratitudinis suppeditavit illi de propria substantia sua materiam, quæ interijt ad redimendum illos; hæc est adoranda Caro, quæ sustinuit tormenta Passionis; hic est pretiosus Sanguis, qui effusus est in Gologothæo vertice. Ideo Sancti Patres dicunt unanimiter, quod ipsa cooperata fuerit cum JESU Christo ad Redemptionem peccatorum, quod reparaverit ipsa, quod destruxit Eva, quod ipsa sit Redemptrix captivorum, & salus omnium, quod ipsa sit Reparatrix sæculi, & Lumen mundi. Hinc ipsamet stupenda hæc protulit verba, quæ legimus in Revelationibus Sanctæ Brigittæ ita approbatis & celebratis in totâ Ecclesiâ, magnæ huic Sanctæ declarare volens, quomodo affecta fuerit ad pedem Crucis, quidque contribuerit cum dilectissimo suo Filio ad Redemptionem peccatorum, dum dixit:

Revelat. c. 35. *Dolor JESU CHRISTI erat dolor meus, eoquod ipsius Cor fuerit Cor meum: Nam sicut Adam & Eva uno panno vendiderunt mundum, ita Filius meus & ego mundum redemimus uno corde.*

Quarta ratio. Adjungo huic, quod servire potest pro quartâ ratione tot experientias & exempla authentica, quæ habemus de speciali protectione, quam Sanctissima Virgo maximis exhibuit peccatoribus, confugientibus ad ipsam. Intuemur tantos

ad perditionem, cui jam immeriti erant, ab ipsa ereptos, alios de dentibus mortis erutos, alios ex abyfso inferni extractos.

Magnus Cardinalis Petrus Damiani attribuit ipsi conversionem tam prodigiosam & salutem tam celerem atque promptam boni Latronis. Unde oritur, inquit, quod Conversus non fuerit, dum comitabatur JESUM Christum bajulans Crucem suam post ipsam? Cur expectavit, quoad ipse fuerat fixus in Cruce, maledicto hoc ligno, ut ipse expeteret benedictionem? nisi quod Sanctissima Virgo auspicata sorte coram aderat ad plantam Crucis Salvatoris nostri, de latere & parte Crucis hujus miseri: Aspectus JESU erga ipsam, & ipsius erga JESUM transibant per Matrem misericordie; & ipsa intercedens pro illo in instanti, quo jamjam dilabebatur de supplicio temporali in supplicio æterna, obtinet illi gratiam ingrediendi in cælum: *Tunc ex latrone factus est Martyr, cum pro eâ MARIA deprecabatur.*

Quis est, quem lateat historia famosi illius Theophili, de quo Sanctus Antoninus, totque alij Auctores recensent historiam, qui sese vendiderat Dæmoni, porrigens ipsi alligationem proprio suo firmatam chirographo; & quando Leo hic infernalis jam suam abripere volebat prædam, extendit infelix manum, oculosque plenos lacrymis

Sanctissima Virgo procurat Conversionem boni latronis ad plantam Crucis.

S. Petrus Damiani.

Conversio Theophili.



crimis convertit ad Matrem miseri-  
cordiæ; & illâ verè maximorum  
peccatorum Refugium se mon-  
strans, coëgit Dæmonem, ut chi-  
rographum publicè redderet, &  
miserum Theophilum liberavit ex  
unguibus dæmonum & barathro  
infernî.

Conversio  
S. Mariæ  
Ægyptiacæ

Nihil magis exploratum est,  
quàm stupenda conversio Sanctæ  
MARIÆ Ægyptiacæ: postquam  
hæc septendecim vitæ suæ annos  
exegerat in spurcissimo voluptatum  
belluarum cœno, ingredi volens  
Sanctissimæ Virginis Ecclesiam, ab  
invisibili quâdam manu repellitur,  
tentat iterum iterumque & sæpius  
repetitis vicibus ingressum, & sem-  
per repellitur ab eodem. Verùm  
ex abundanti bonitate Sanctissimæ  
Virginis, quæ maximorum mise-  
retur peccatorum, non alio repel-  
litur sine, nisi ut attraheretur me-  
lius: gratia Matris aperit ipsi oculo-  
s, ipsique vitæ suæ ostendit ne-  
fanda crimina; Et mox exclamat  
perculsa tremore, lacrymisque per-  
fusa: Ah! Virgo Sanctissima!  
Nōne tu miserorum Refugium es  
peccatorum? Si tu repellis me, ad  
quem confugiam? O prodigiosam  
potentiam & bonitatem Sanctissi-  
mæ Virginis, admirabilis hujus  
Matris! in instanti Ægyptiaca im-  
mutatur, tamque stupendum eva-  
dit pœnitentiæ & Sanctitatis pro-  
digium, ut nihil fermè habeamus,  
quòd prodigiosum magis sit in om-  
nibus Vitis Sanctorum.

Quis recensere vellet omnia e-  
jusmodi exempla, quorum nu-  
merus propè excrescit in infinitum,  
plura adimpleret illis ingentia vo-  
lumina; legenda hæc relinquo in  
omnibus fermè sacris Scriptoribus.  
Sed omittere non possum pulcher-  
rimum, quæ ipsamet Sanctæ Brigit-  
tæ dixit, verba: *Ego sum Regina* Reverend.  
*cæli, ego sum Mater misericordiæ,* lib. 6. c. 10.  
*gaudium iustorum, & Advocata*  
*peccatorum apud Deum; non est*  
*pœna in purgatorio. quæ tolerabi-*  
*lior non fiat intercessione meâ: Non*  
*est homo tam maledictus à Deo,*  
*qui tempore vitæ suæ privatus om-*  
*nino sit misericordiâ meâ; Ego nam-*  
*que impedio, ne tam acerbè tenta-*  
*tur à Dæmonibus, sicut tentatus*  
*fuisse absque me; Nemo tam alic-*  
*nus est à Deo, nisi supremâ mali-*  
*ditione fuerit percussus, qui, si me*  
*invocet, non revertatur ad Deum,*  
*& obtineat misericordiam.* Et ex  
his omnibus concludo, quòd ve-  
rum igitur sit, devotionem erga  
Sanctissimam Virginem tamen si im-  
perfectissimam, semper plurimum  
utilitatis afferre maximis peccatori-  
bus, hancque semper debere in  
ipsis alere magnam spem salutis suæ,  
si perficiatur cum desiderio conver-  
tendi se & obtinendi gratiam, me-  
diante intercessione Virginis San-  
ctissimæ.

Verùm si fulcire devotione hac Periculosè  
suâ præsumserint impœnitens Cor præsump-  
suum, confidentes se non peritu- tio est,  
ros, quamvis in suis perseverent confidens  
pecc-

erga SS.  
Virgine  
ut per  
veret q  
in pecc



erga SS. Virgine, ut perseveret quis in peccato.

peccatis, modo aliquâ erga Sanctissimam Virginem afficiantur devotione; his ex toto corde meo dico & annuntio: Fallimini, fallimini, fallimini: Existimata vestra erga Sanctissimam Virginem devotio, haudquaquam est nota prædestinationis, nec certitudo salutis pro vobis; sed potius assumitis illam, ut plus certitudinis & fiduciæ vobis tribuat perseverandi in peccato. An credatis imaginariam vestram & fallacem devotionem multum collaturam ad salutem vestram, dum illam non exercetis expuro desiderio vestra deferendi peccata, sed potius majori cum fiducia in illis perseverandi, censentes tutissimos vos esse à supplicio punientis justitiæ Dei, ed quod sub sacro scapulari vos abscondatis, vel coronam Virginis portetis vobiscum: Abjicite errorem, & ipsimet legite Libri primi Regum caput tertium.

Videbitis quod Israëlitarum pugnantes cum Philistym fuerint devicti, ed quod irritaverint econtra se Deum exercituum, qui rotidem ipsos beaverat victoribus, quot detestabantur præliis. Ipsi non minus attoniti, quam affecti de strage sua. Unde est, inquit, quod Deus Israël deseruerit nos ita? Obstringamus & compellamus ipsum fortius ad defensionem nostram: *Afferamus ad nos Arcam Domini*; quando habuerimus illam nobiscum, perire non poterimus.

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

mus. Hem! Cæci malè sani, dicit illis Cajetanus cum Sancto Augustino, non tangitis originem nec fontem infelicitatis vestra: Quid proderet vobis hæc protectio exterior arcæ, dum inimicos, qui vos occidunt, circumfertis in medio vestri? *Recurrunt isti ad externam ceremoniam, omittentes internam peccatorum poenitentiam.* Non advettebant ipsi, quod circumducentes arcam in exercitu, portarent in Arcâ legem Dei, qui potentior erat inimico ipsos oppugnante, qui que utebatur manu Philistinorum ad castigandum illos, ob exhibitum sibi contemptum. Quisnam fuit Eventus vana hujus confidentiæ, quam collocaverant in protectione Arcæ Domini? haud alius, nisi quod, antequam advenerat, perdiderint quatuor millenos homines, & postquam habuerunt ipsam in medio sui, amiserint triginta millia.

Legite in hoc exemplo errorem vestrum, vos o falsi Sanctissimæ Virginis cultores, & ipsorum damno ac fatuitate sapite. Auscultastis mira de protectione, quam Sanctissima Virgo impendit clientibus sibi devotis: Exploratum habetis, devictos vos esse ab immoderatis animi vestri affectibus, à virijs & peccatis vestris, vobisque imminere periculum Severissimam subeundi castigationem Omnipotentis brachij Dei. Dicitis: Novero bene munire me, ut immunis maneam

Devotiones exteriores nihil proficiunt quando animus est plenus peccatis.

Pericula præsumptio est, confidenti devotio





neam ab ipsius supplicij; Qui devoti sunt Virgini, perire nesciunt: assumam scapulare, dabo nomen Confraternitati Rosarij, jejunabo Sabbathis in honorem ipsius; quid mali deinceps accidere mihi poterit? Sum peccator quidem, verum est, sed nonne est ipsa refugium peccatorum etiam maximorum? Mi bone amice, plurimum deciperis, si credis, securum te fore penes Arcam Domini, & vindicis ipsius dexteræ istus nunquam usque eò deportandos. Si vitam semper duxeris sceleratam, vanissima est confidentia tua, dum persuasum habes, alio opus haud esse, quàm amicire te aliquâ devotione externâ erga Sanctissimam Virginem, ut reipsâ appareas bonus, abs eò, quòd immutare velis tui immoderationem animi. Hoc est operire te folijs ficus, ut meliùs obtegas tui opprobrium peccati, pro eo, quòd cogites, id fore pro te corticam ad excipiendum justam ultionem Dei. Sanè si desiderium tibi esset te convertendi, si contenderes eximere te servitute peccati, aggregando te servis Sanctissimæ Virginis, si assumeres scapulare vel Rosarium, velut medium revertendi ad Deum per pœnitentiam; non dicerem, devotionem tuam, quantumvis imperfectam, tibi esse inutilem; sed potiùs laudarem illam, per magnâ æstimarem illam utilitatis.

Vana confi- Sed non aliam habere intentio-

nem, nisi præservandi te à supplicij, quæ tua promerentur peccata, in quibus nunquam non peccaveras; habere etiam occultam quandam confidentiam, quam non habes, nisi ut in illis persistas, absque metu pereundi in æternum, eòquòd devotus sis Sanctissimæ Virgini, quæ devotos suos petire non sinat; horrenda est cæcitas: Nec minor est, credere, quòd Sanctissima Virgo defensora sit pertinaces Filij sui inimicos, & putare, ipsam impedituram; ne ipsos veluti suos adversarios aspiat, quamvis nullum habeant animum se cum illo reconciliandi: tantum enim abest, ut falsa hæc & deceptoria devotio tibi prosit, ut potiùs majori sit nocumento salutis tuæ, in hoc, quòd saporem tibi inducat, teque indormiscere faciat per vanissimam confidentiam, quæ ad nihil tibi proderit, nisi ad reddendum te magis obnoxium crimini coram Deo per profanationem, quâ affecisti res sacras, quibus usus non es, nisi ut confidentiùs peccares.

Ita, declarare te potes velut devotum Sanctissimæ Virgini, quamvis sis pessimus, nemo in hoc obstabit tibi; potes assumere scapulare, & dicere intra te ipsum; tutiora amplectenda sunt: Verum est, me hominem non esse frugi, nec vitæ optimæ, sæpiùs magnis expositus sum periculis; sed assumam scapulare Sanctissimæ Virginis,

dentia in  
Sanctissimæ  
Virginæ.

Tres  
inter

Error aliorum,  
qui credunt  
se esse devotos.



nis portabo mecum Rosarium, quando hæc habuero, non habebō, quod metuum; novi enim Sanctissimam Virginem, refugium esse peccatorum: facere id potes, nihil tam facile est factu, nec ullus tibi erat obstaculo; sed non assumis, sicut putas, præsidium pro te, sed testem & accusatorem contra te: Scapulare hoc & Rosarium hoc, quæ ignominiam sibi credant illatam, quod assumpta fuerint velut arma à peccatore, ad defendendum se adversum gratias Dei sui, clamabunt vindictam contra te, & potentiùs sagittas Dei attrahent super te, & intorquebunt adversum te, Dicendum igitur non est; non nisi aliquã erga Sanctissimam Virginem est opus devotione, tamen quis agat peccatorem maximum, perire non poterit; Non enim Sanctissima Virgo id permittet, cum sit refugium peccatorum: Qui temerariæ huic innititur persuasioni, summè decipitur.

Tres veritates certæ;

Fitmter igitur credendæ sunt certissimæ hæ tres veritates: Prima, quod vera & perfecta devotio erga Sanctissimam Virginem, quæ includit magnum amorem Dei, certos faciat eos omnes de

salute, qui perseveraverint in ipsius Exercitio usque ad finem. Secunda, quod devotio imperfecta, quæ caret adhuc perfecto hoc amore, sed quæ desiderat ipsum, quæque assumitur velut medium obtinendi à DEO per intercessionem Sanctissimæ Virginis gratiam Sanctæ Conversionis, magnam tribuat spem, quamvis non plenam certitudinem de salute. Et tertia, quod devotio absque amore, & absque ipso etiam amoris desiderio, persuadens sibi, quod sufficiat ostendere aliquas exteriores devotionis erga Sanctissimam Virginem, notas, ut certus quis sit de salute, fallax est, mendax, & admodum temeraria.

Maximam hæc super re habeo satisfactionem, inquiebat ipsi bonus Vir, cujus omnes dissipatæ jam erant inquietudines; optarem adhuc informari à te, in quo consistat vera & salubris devotio erga Sanctissimam Virginem, quidque faciendum sit mihi, ut illam opere exerceam. Ecce, respondit Viator, ausculta bene, quid tibi dicturus sum.

¶ (o) ¶





## ARGUMENTUM.

*In quo consistat vera devotio erga Sanctissimam Virginem, quidque factu opus ad exercendum illam.*

## ARTICULUS II.

**D**evotio erga Sanctissimam Virginem non consistit purè in interiori, nec etiam purè in exteriori; sed utrumque conjungendum est, ut vera devotio existimari possit: oportet ergò, si quis dignè exercere ipsam velit, habere in corde suo affectus devotos ac pios, & perficere exteriorius actiones sanctas ac devotas.

Eccur inquis, quòd devotio erga Sanctissimam Virginem non consistat in exteriori? Interrogavit ipsum bonus hic senex, qui desuper fermè patiebatur scandalum: Nunquam non vidi à puero exerceri plures devotiones externas à devotis Sanctissimæ Virgini: Nonne devotio est, recitare coronam Virginis, adesse processionibus Sancti Rosatii, jejunare diebus Sabbathinis, & Dominæ nostræ Vigilij, & plura alia perficere bona opera? An dicas, hæc & ejusmodi non esse devotionis insignia? an ejusmodi spernas & vilipendas exercitia?

Vera devotio debet simul esse interna & externa.

Non, respondit Viator, sed potius maximi æstimo illa, & plurimum reprehensibiles iudico eorundem reprehensores: Sicut certum est, quòd Corpus humanum sit

de integritate & essentiâ hominis, ita certissimum quoque est, quòd bona exercitia externa sint de integritate & essentiâ devotionis. Si quis sub obtentu honorandi magis hominem, vellet dicere, quòd Corpus non esset de ipsius essentiâ; quòd exterius hoc sit materia quædam corruptibilis, & corpus animale, sicut illud bestiarum, quòd homo consistat totus in interiori, nempe in animâ, quæ spiritualis est & æternâ; diceretur ipsi: Mi bone Vir, tu destruis hominem, dum auferis ipsi corpus, sicut destrueres auferendo ipsi animam; nec anima, nec corpus separatim sunt homo; Si verùm habere vis hominem, oportet conjungere utrumque; ita si quis diceret, vera devotio non consistit in exteriori, quòd non est, nisi collectio quædam actionum corporalium, quæ perfici possunt à Paganis & Athëis: In interiori collocanda est devotio, in hoc nempe, quòd anima exerceat actus supernaturales Religionis, qui non nisi congruunt fidelibus: responderetur ipsi: Heus amice, pari ratione tu destruis devotionem, auferendo ipsi ceremonias externas, quàm si auferres ipsi

est hæresis  
abolere  
velle car  
monias  
exercitia  
externa  
ligionis.



ipsi ipsos actus & affectus inter- nos.

Ut hæretici  
abolere  
velle cære-  
monias, &  
exercitia  
externa re-  
ligionis.

Nōne error hic est hæretico- rum abolere volentium cæremonias Ecclesiæ? Processiones, imagines, vestimenta sacra, quibus induuntur Sacerdotes celebrantes divina mysteria, & alia ejusmodi, quæ concernunt cultum externum religionis, sub obtentu, quod JESUS Christus dixerit nobis in Evangelio, Patrem suum cælestem querere veros adoratores, qui adorent ipsum in Spiritu & veritate; quasi requirens cultum interiorem, qui est præcipuus, exclusisset exteriorem, qui ex eò, quod nobilior non sit, non cessat esse de integritate, imò etiam de essentia religionis, qui omninò expelleret ipsam, religionem amplius non haberet; & ipsi hæretici tam bene cognoscunt absolutam ipsius necessitatem, ut, dum ipsum rejiciunt, ipsum admittant & ipso exerceant opere. Nōne opus est, ipsis invitatis, ad perficiendum aliqua religionis exercitia, adhibere eos externas juxta morem suum cæremonias? Conveniunt ad concionem, legunt Scripturam, decantant Psalmos, celebrant cœnam; ita ut, qui cogeret ipsos accuratè observare id, quod docent, omnia nimirum exteriora abolenda esse, quantocyùs destrueret ipsorum Religionem: siquidem si nullum exhiberent ipsius exercitium externum, quid fieret cum illà?

Non dicam, quòd vera devotio erga Sanctissimam Virginem, nullatenus consistat in exteriori; hæc namque esset propositio, quæ saperet hæresim: sed dico, ipsam non solum consistere in exteriori; requiritur utrumque exteriori & interiori: sicut rescindere non potest totum exteriori à devotione, quin privares eam illo, quòd nobis magis est sensibile, & faceret ex ipsa animam sine corpore; ita si absolutè rescindas totum interiori est corpus absque animà; est devotio mortua, est vana apparentia, & mera hypocrisis; jungenda sunt ambo, exteriori & interiori, affectus animæ cum actionibus corporis; Si hoc facias, veram habebis devotionem erga Sanctissimam Virginem.

Ecce, quòmodo ego intellexerim, inquit bonus senex, semper credidi, neminem esse devotum, nisi habeat devotionem, & non haberi devotionem, nisi moveatur cor & animus; insuper credidi, devotum neminem esse, nisi devotionis exhibeat & perficiat opera, bonumque præbeat exemplum fideliter navando operam exercitijs devotionis. Mea difficultas non est, quòd scire aveam, an devotio interior & exterior jungenda sit, sed in quo consistat utraque, & quid faciendum sit mihi, ut debito modo illam exerceam: Siquidem lubens addiscerem, quâ ratione verè & perfectè devotus es.



se valeam erga Sanctissimam Virginem.

Quatuor actiones requiruntur, ut bene exerceatur devotio erga Sanctissimam Virginem.

Talis eris, respondit ipsi Raphaël noster, si quatuor puncta noveris observare, & deducere in opus. 1. Ipsam honorare. 2. Ipsam amare. 3. Ipsi servire. 4. Ipsam imitari. Honorando ipsam, præstas obsequium excellentijs, quibus Deus condecoravit illam, & exhibes ipsi Sacrificium mentis tuæ. Amando ipsam agnoscis bona, quibus te afficit, id est, gratias, quas tibi procuravit, & procurat sine intermissione, & offers

illi sacrificium cordis tui; Ecce id, quod directè respicit devotionem internam. Et serviendo ipsi, procuras ipsius honorem, extendis ipsius gloriam per bonatua exempla & fervorem tuum; & per hoc præsentis ipsi sacrificium honorum tuorum operum; hocque respicit devotionem externam. Et tandem imitando ipsam, colligis fructum præcipuum devotionis tantæ sanctæ, & teque consecras ipsius servitio; & hoc respicit devotionem utramque, interiorem & exteriorem.

## § I.

*Prima pars devotionis erga Sanctissimam Virginem, est honorare ipsam.*

Prima ratio, ob quam honoranda sit Sanctissima Virgo.

Ecce honoranda est Sanctissima Virgo? interrogavit ipsum senex: plures efficaces rationes ad hoc obstrungunt nos: Ecce præcipuas. Prima, ob propriam ipsius Excellentiam; siquidem omnis dignitas, omnis perfectio, & omnis excellentia meretur aliquem honorem, majorem vel minorem, juxta proportionem magnitudinis suæ; sicut ex adverso omnis defectus, omne vitium, & omne demeritum dignum est contemptu majori vel minori juxta mensuram excessus sui: nemo sana mentis hoc diffitebitur. Jam duo sunt perfectionum & excellentiarum genera, naturalium nempe & supernaturalium; duo igitur etiam sunt

honoris & venerationis genera; honoris civilis & honoris religiosi: reddendus est honor civilis excellentiæ naturali juxta magnitudinis proportionem. Nonne verum est, majorem exhiberi honorem alicui nobili, quàm alicui rustico; majorem alicui Principi, quàm nobili; & iterum majorem Regi, quàm Principi? Ita æquum omnino est reddere honorem religiosum & supernaturalem excellentiæ supernaturali & divinæ, quæ consistit in virtute, in gratiâ & in gloriâ; & quia hæc agnoscitur in omnibus Sanctis, redditur ipsis omnibus honor religiosus, qui naturæ & ordinis est altioris, quàm ille, qui redditur Regibus terræ, cum

Tria genera cultus religiosi; Dulce, et perdulce, latine.

bus generibus merito, naturalium de supernaturalium.

Duo sunt honorum genera reddenda duo.



cum hic sit naturalis, supernaturalis alius.

Sed quia meritum hoc supernaturale æquale non est in omnibus, cum sit majus in his & minus in alijs: ideo Theologi distinxerunt tria honoris religiosi genera; unum vocant Dulciæ, quem meritò impendunt Sanctis, eòquòd Deus repleverit ipsos omnes tum gratiâ, tum gloriâ suâ; gratiâ, quæ est participatio ipsius sanctitatis, & gloriâ, quæ est participatio propriæ divinitatis ipsius; sunt pleni illa omnes plenitudine; quam vocant sufficientiâ; id est, quæ sufficiat illis, ad reddendum ipsos omnes eximios sanctos.

Aliud genus honoris religiosi & supernaturalis, quòd absque comparatione magis attollit & elevat primo, vocatur cultus Hyperdulciæ, qui totus & integer debetur Sanctissima Virgini, & non debetur nisi ipsi soli: Siquidem nec cæteri omnes Sancti & Sanctæ simul, nec omnes Angeli beati merentur ejusmodi honoris genus, in dè nec ipsam à nobis reciperent: Est namque prerogativa solius Virginis Sanctissimæ, eòquòd Deus repleverit ipsam abundantia gratiarum & gloriæ, quæ incomparabiliter transgrediantur ea omnia, quæ distribuit inter cæteros sanctos, qui omnes non sunt nisi servi Dei, cuius ipsa est Mater. *Gratia plena:* ipsa tota est plena gratiarum, & plenitudine abundantia, & super-

abundantiæ, eòquòd ipsa sola illarum plus habeat, sicut dicit S. Thomas, quàm requireretur, ad implendum omnes Sanctos; & ideo æquissimum est, ut ipsi soli plus impendamus honoris, quàm cæteris omnibus simul Sanctis.

Tandem est tertium quoddam religiosi ac divini honoris genus, infinità ratione transgrediens duo cætera, quòdque nuncupant cultum Latriæ, qui Deo soli est debitus, eòquòd ipse solus possideat ex seipso infinitatem Excellentia; infinitæ; & qui minimam ejusmodi honoris partem impendere præsumeret alicui Sanctorum, vel etiam Virgini Sanctissimæ, ipse idololatra esset, & committeret criminum omnium maximum. Et ecce prima ratio, ob quam honoranda nobis est Sanctissima Virgo, nempe propria ipsius excellentia, non dico, illa, quam habet à seipsa, sed illa, quam accepit à Deo.

Secunda ratio adhuc efficacior ad honorandum ipsam, est, ut placeamus Deo, conformando nos ipsi. Quòmodo non honoremus ipsam, cum videamus, quòd honoret eam ipsemet Deus, & honoret ratione tam sublimi, est omnis honor, quem impendere illi possunt omnes creaturæ actuales & possibiles, sit ferè nihil in comparatione. Quis hoc diffitebitur, cum honoraverit ipsam dignitate, quâ effecta est propria Mater sua; cum submittere sese voluerit ipsi;

Secunda ratio, ob quâ honoranda sit Sanctissima Virgo.

injun-



Deus hono-  
rat Sanctissi-  
mam Virgi-  
nem magis  
quàm om-  
nes alias  
puras crea-  
turas, quem  
imitari de-  
bemus.

inungere sibi ipsi indispensabilem obligationem illam reverendi, illam honorandi, ipsi morem gerendi, ipsique reddendi omnia obsequia, quæ reddere tenetur filius Matri suæ, qui honor est omnem excedens potentiam creaturæ, imò etiam exhaustiens omnem virtutem Omnipotentis brachij Dei, sicut loquitur Sanctus Thomas; eò quòd ipsemet facere plus non posset ad honorandum puram aliquam creaturam. Dico, puram aliquam creaturam (certum enim est, quòd infinità ratione magis honoret Sanctissimam Humanitatem JESU Christi.) dum illam personaliter unitam esse voluit cum divinitate, per quod verum sit dicere, quòd Homo verè sit Deus, ideòque nos obliget ad impendendum illi supremum cultum Patriæ Deo debitum: Sed post ipsum facere non posset majus, nec magis dignum honore, quàm Sanctissimam Matrem suam; & hinc maximus honor post Deum jure debetur Sanctissimæ Virgini Matri Dei.

Gen. 41.

Hoc posito, si negaret quis ipsi honorem debitum, imò se etiam opponeret illi, quem recipit ab alijs, quid æstimandum esset de ipso? Quando Pharo honorare voluit Joseph dignitate Bro Regis in totà Ægypto: Quando abstraham è proprio digito annulum digito inseruit Joseph, quasi ad desponsandum sibi ipsius amicitiam: quando iniecit collo ipsius tor-

quem auream, velut primæ & præcipuæ dignitatis in regno notam, quàm ipsi conferebat: quando ascendere fecit ipsum super currum suum secundum, deportandum velut in triumpho, clamante præcone: *Ut omnes coram eo genua flecterent, & prapositum esse scirent universa terra Ægypti:* Si quisquam abnuisset impendere ipsi homagium, dicendo intra seipsum; quid mihi cum hoc advena? ipse non est Rex, non flectam genua coram illo: nonne dictum fuisset ipsi? Insolens, temerarie; vide, quòmodo ipse Rex honoret eum; & quis es tu, ut negas ipsi honorem, quo accumulati vult ipsum in totà amplitudine regni sui? si aspexisset ipsemet Rex ejusmodi contemptum, nonne castigasset ipsum velut ob crimen læsæ Majestatis & velut facinus contra propriam suam personam perpetratum?

Nonne major adhuc esset insolentia & incomparabiliter majori digna supplicio; si quispiam videns, quòd Deus honoraverit Sanctissimam Virginem infinità ratione magis, quàm Pharo honoraverit Joseph, dum assumpsit ipsam in propriam Matrem suam, dum fecit ipsam Reginam hominum & Angelorum, & post se Dominam in universo Regno suo vidensque, quòd non solum publicari fecerit per os unius duntaxat secularis, sed prædicari ubique & in cæli

Tertio, ob  
honor  
est San-  
ma Vi-



incessanter per ora tot millionum Prædicatorum, per voces tot tantorumque Doctorum, per pennas innumerabilium factorum Scriptorum, se velle honorari ipsam velut Matrem suam; omniumque purarum creaturarum dignissimam? Si impius quispiam videns hæc omnia, vellet insuper avertere & perverttere alios, ne honorarent ipsam, aut aliquam proficerentur ipsam devotione, oppugnando illam modò apertè, sicut Hæretici, modò fallaciter, sicut mali Catholici; nonne dicendum ipsi foret: prò quàm perversus, prò quàm es impius! Nonne vides, quòmodo ipsemet Deus illam honoret, & quòmodo ordinaverit, ut honoretur ab universâ Ecclesiâ? Non metuis, quòd Omnipotens hic Deus, qui intuetur omnia, quisque scrutatur renes & corda, castigaturus sit tuam impietatem, velut injuriam propriae suae personae illatam? Quis dubitare possit, quin accipiat honorem vel contemptum divinæ suae Matti exhibitum, ac si exhibitus fuisset sibi ipsi?

Tertia ratio, ob quam honoranda est Sanctissima Virgo.

Secundæ huic rationi annecto tertiam, & dico, honorandam esse à nobis Sanctissimam Virginem, ut conformemur nos toti Ecclesiæ Triumphanti & Militanti, utque afferamus gaudium omnibus Angelis beatis, cunctisque hominibus justis, qui, cum omnes sint servi Dei, servi etiam sunt San-

R. P. Isaas Consultat. Tom. III.

ctissimæ Mattis ipsius: An unquam bonos servos videre suis, qui non solum ipsimet suam non honorarint Dominam, sed etiam affecti non sint gaudio, aspicientes ab alijs honorari ipsam? An unquam fideles reperire erat subditos, qui non maximâ delibuti sint Consolatione, Ex impensis Reginae suae honoribus? Si Evangelium recenset nobis, quòd magnus in caelo sit jubilus, & gaudium superabundans in corde Angelorum de uno peccatore pœnitentiam agente, eò quòd cesset deinceps injuriâ afficere Deum; quantò majori credendum est perfundi cor eorum lætitiâ, dum intuentur devotionem bonorum, reddentium ipsi gloriam, honorantium Majestatem ipsius infinitam, sive in propria personâ suâ, sive in personâ Sanctissimæ Mattis suae, cum certum sit, quòd post proprium honorem suum, quem summè exigit, nil magis placeat ipsi, quàm exhibitus Matti suae honor, cultus veneratio. Si igitur Angeli & omnes Sancti gaudent de gloriâ Dei? quis dubitare potest, quin etiam gaudeant de honore, quem exhibemus Sanctissimæ Matti ipsius?

Non nisi mali sunt Angeli & reprobi, qui exinde concipiunt mœrorem: devotio erga Sanctissimam Virginem summè displicet ipsis; sed mirandum hoc non est, eò quòd cum sint inimici Dei, impossibile sit, quin similiter sint adversarij

R r r San.

Placet Deo, Angelis & omnibus Sanctis exhibitus Sanctissimæ Virginis honor.

Quam...



Sanctissimæ ipsius Matris; & hæc præcipuarum rationum est una, ob quam Sancti Patres affirmant, quod devotio erga Sanctissimam Virginem sit nota prædestinationis: Ex quo deduci etiam potest, quod carere devotione hæc erga Sanctissi-

mam Virginem sit nota reprobationis: Sed funesta hæc nota magis adhuc firmatur in ijs, qui contemnere & reprehendere adhuc audent tam sanctam devo-

tionem.

\* \*

§. II.

*Secunda pars devotionis erga Sanctissimam Virginem, est ipsam amare.*

**N**on sufficit honorare Sanctissimam Virginem, ut aliquis verè censetur ipsi devotus, oportet etiam amare ipsam. Recedit hic à veritate tritum & antiquum illud: *Non bene conveniunt, nec in unâ sede morantur Majestas & amor*; imò potius conveniunt, semperque junguntur in devorione erga sanctissimam Virginem, eodquod Excellentia ipsius, & bonitas ipsius sint ab invicem inseparabiles. Ubiunque est meritum & excellentia, insculpitur reverentia animo; & ubiunque est bonitas, excitatur amor in corde. Verum igitur est, quod sicut summus honor impendendus est Sanctissimæ Virgini post Deum (eodquod nihil excellentius sit ipsâ, nisi Deus solus) sic perfectissimus exhibendus illi sit amor, post amorem summum, qui Deo soli debetur; eodquod nihil sit melius, nec amabilius post Deum Sanctissimâ Virgine.

Quomodo simul conveniant reverentia & amor erga Sanctissimam Virgine.

S. Bernardus

Sanctus Bernardus exponens

verba Angeli, quibus salutat ipsam gratiâ plenam, dicit, quod gratiâ reddat amabilem; hic proprius ipsius est effectus, sicut effectus albedinis est, reddere album; & id, quod gratiosum est, amabile est: vide quàm amabilem ipsam reddat plenitudo gratiæ ipsius, Deo, Angelis & hominibus; *Deo per humilitatem, Angelis per Virginitatem, Hominibus per fecunditatem*: Deus igitur, Angeli & homines prosequuntur ipsam devotione singulari, quæ plena sit amore.

In primis Deus amat ipsam tam perfecto amore, ut totum devoverit se ipsi, & spectare ad ipsam voluerit, velut Filius ipsius Unigenitus, ipsique alligari vinculis tam arctis tamque validis, ut impossibile sit creaturæ habere perfectiorem conjunctionem cum Deo suo, post illam unionis Hypostaticæ, quàm sit unio cum propria Matre suâ. Et hæc ratione devovit se ipsi, sicque est ipsi devotus. Verum ipsemet declarat nobis, quod profunda



fundam ipsius humilitas reddiderit ipsam sibi tam amabilem, quodque per hanc vulneraverit, captivaverit, & lucrata sit ipsa Cor suum: *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.* Quomodo verum est, quod unico crine colli sui vulneraverit cor ipsius? Rupertus Abbas egregie id exponit: Nihil est, dicit hic Pater, tenuius crine, nihil est exilius humilitate: nihil magis flexibile est crine, nihil magis obediens humilitate: vix subit conspectum crinis; vix conspici se sinit humilitas; nec solum alias abscondit vitutes, sed semetipsam, quantum potest, querit abscondere: sed quanto magis invisibilem se reddit hominibus, tanto jucundius aspicitur ab oculis Dei: quod Sanctissima Virgo ipsamet declarat nobis in suo Cantico: *Quia respexit humilitatem ancilla sua.* Ecce quomodo Deus ipsam amet propter humilitatem suam.

Amatur quoque ab omnibus Angelis beatis, quos incomparabili sua allicit puritate, ita ut habeat ipsos omnes pro servis & devotis suis. Sanctus Bernardinus concionatus est publice, ipsam semper circumdatam fuisse innumerabili multitudine beatorum Angelorum, qui magnifico comitatu stipabant ipsam velut Reginam suam, qui in morem stativi præsidij famulabantur ipsi tanquam Principi suæ, quique fidelissima impendebant ipsi obsequia tanquam divinæ Dominae

suæ: Exin adjungit verba declarantia pietatis suæ zelum erga Virginem Sanctissimam: *pie credo, quod plurimas legiones Angelorum habuerit in custodiam & protectionem suam.* Si Sacra Scriptura nobis recenset, quod miserit Deus ingentem multitudinem horum Spirituum cælestium, qui protectores agerent Prophetæ Elisæi; an difficulter credamus, quod multo plures adhuc miserit in custodiam & servitium Sanctissimæ Matris suæ?

Est amabilis providentia Patris nostri cælestis, quod assignaverit unicuique ex nobis unam ex Angelis suis beatis pro defensione & directione nostrâ: Est signum amoris, quo fertur in nos, & magnæ curæ, quam gerit pro nobis: imple agit in hoc velut Princeps quidam, qui educare volens suum filium, ut aliquando suas possideat ditones, providet ipsi de sapiente quodam moderatore tempore infantia suæ. Sed singulare est gaudium Angelo Custodi, si homo, cujus curam gerit, amet & conservet puritatem; tunc enim Angelus dirigit & comitatur Angelum, & quivis amat sibi similem. Sanè credendum nobis est, præcipuam Angeli Custodis curam esse, præservare, munire & monere pupillum suum à lapsu in spurcitas carnis, & speciatim ob hoc assignatum nobis esse. Eheu! quid faceremus absque hoc auxilio? Cum ex parte nostrâ affixi simus

Gaudium Angeli custodis dirigentis animam puritatis studiosam.

Cast. 4.

Rupert. lib. 3, in Cant.

us seru, mteparva

Quomodo Sanctissima Virgo amatur à Deo

8. Bernardinus serm. 31. art. 3. c. 2. tom. 2.

Quomodo St. Virgo amatur ab Angelis.



Corpori, velut domestico animarum nostrarum tentatori, à quo frequentissimè & importunè incitatur ad impuritatem: quomodo resistere possemus ipsi; nisi ex alterâ parte Deus conjunxisset nobis Spiritum purissimum, qui nunquam non defendat nos contra invasionem domestici hujus inimici, nôsque roboraret adversus propriam nostram infirmitatem?

Sap. 8. v.

21.  
Angeli nostri Custodes specialem gerunt curam, ut præservent nos à peccato impuritatis.

Pulchra observatio circa puritatem.

Scriptum est, quod nemo possit esse continens, nisi det Deus; sed pretiosum hoc donum largitur nobis per ministerium bonorum nostrorum Angelorum si id recipere velimus. Quot milliones animarum jam beantur in cælo, postquam vixerunt in terris in Corpore carnali, velut Angeli, qui corpore carent? Quis enarrare possit victorias, quas auxiliantibus bonis suis Angelis gloriosè reportârunt?

Usitatum erat paganis, qui demones adorabant tanquam veros Deos, crudele indicere bellum puritati Virginum Christianarum, eò quod Deorum suorum insisterent vestigijs, qui Spiritus immundi sunt, quique potissimum oblectantur immunditiâ ac sparcitijs; sed ingens miraculum est, & res observatione dignissima, quod, licet videre fuerit sub persecutione Tyrannorum innumeras Virgines Christianas acerrimè tentatas circa argumentum & materiam puritatis; has per blanditias & pollicitatio-

nes, alias per minas & tormenta, & plures etiam per sententiam Judicis condemnatas, ut ad loca deducerentur infamia, ibique prostituerentur: nunquam tamen inventa fuerit unica, quæ tam brutali, tamque probrosa succubuerit tentationi. Sed Deus semper defendit illas contra omnes potestates tum humanas, tum infernales, per manifesta Omnipotentis brachij sui miracula, & sæpè per manifestum auxilium bonorum suorum Angelorum. Lege vitas Sanctæ Cæcilie, Sanctæ Lucie, Sanctæ Agnetis, totque aliarum, & hæc de re plura invenies Exempli.

Est nobis illustrissimum ejusmodi Exemplum, quod refertur à Baronio Anno Domini nostri trecentesimo, in personâ Sanctæ Theophilæ Virginis & Martyris. Vivebat ipsa sub imperio Maximiani crudelissimi Sanctæ Ecclesiæ persecutoris. Tyrannus hic videns Virginem hanc Christianam insensibilem ad tormenta, intrepidam ad comminationem mortis, & inflexibilem ad omnem tyrannidis suæ machinationem, condemnavit ipsam ad subeundam Virginitatis suæ jacturam, supplicium centies ipsi intolerabilius morte: Cum ergo hæc constitutam se videret in loco infami, quò factâ vi adducta fuerat, oculis ac manibus in cælum sublatis, magis corde quàm ore, accensa hæc verba evibravit ad Deum: Mi JESU! mi Amor!

Jumen

Baronio  
Anno 100

Exemplum  
admirandum de Virgine, quæ conservata puritate per miraculum.



lumen meum! anima mea! fidelis custos castitatis meæ, vita mea & spes mea: adjuva me! Aspice sponfam tuam in manibus inimicorum tuorum, me inquam, amabilis sponse, accelera ut liberer me; Eripe ovem tuam ex unguibus luporum, qui accinxi jam sunt, ut in frustra ipsam discerpant. Dilecte sponse, tuæ fer opem sponse, quæ manus extendit ad te; tolle vitam meam, si velis, & meam conserva Virginitatem,

Factis ardentibus his precibus, experta est se totam roboratam, plenamque fiduciam in Deum; hinc videns se oclusam loco illo infami, Sancti Evangelij librum, quem semper tenebat secum, suis apprehendens manibus, in ipso legere incepit magnam cum reverentia. Quamprimum bonus ipsius Angelus conspiciendum sese exhibuit; & primus impudens, qui inferre ipsi nitebatur vim, percussus ab Angelo interijt; alius quidam ingressus temerarie mulctatus fuit repentinam cœcitate; & omnes ij, qui machinari quidquam ausi sunt contra ipsam, diversis affecti sunt supplicij, ita ut effœminatissimi quique impudica sua consilia commutarent in venerationem, & intrantes cum reverentia, ad conspiciendum prodigia dexteræ Dei, admirati sint triumphum, quem reportavit Virginitas de inimicis suis, per subsidium Angeli, qui apparuit illis totus refulgens splendore ac

Majestate: Unde & accidit, ut magis increduli glorificarent Deum Christianorum, pluresque illorum desertis idolis adorarent JESUM Christum.

Si igitur Angeli tanto feruntur amore in omnes Virgines, quid cogitandum est de eo, quo nunquam non profecuti sunt Sanctissimam Matrem Dei, quæ Virgo est Virginum? Sic Sanctus Bernardus jure meritissimo dixit; quod si adamata est à Deo ob profundam suam humilitatem, adameretur ob incomparabilem suam puritatem ab Angelis.

Insuper magis amabilis est hominibus ob admitandam fecunditatem suam; Siquidem ultra rationes, ob quas amabilis redditur Deo & Angelis, tertia occurrit ratio, potissimum nos homines concernens, quæ ipsam vehementissimo amore nostro reddit dignissimam; & est divinam ipsius fecunditas. Ipsa progenuit nobis Salvatorem, ipsa liberavit nos per ipsum ab infinitis malis, quæ inevitabilia erant nobis, ab inferno, peccato, odio Dei; hæc citò dicuntur, sed non bene explicantur, tamen integro sæculo fieret de ipsius sermo. Ulterius fecunditas ejus reddit ipsam nobis amabilem, eo quod produxerit nobis Salvatorem, & per eum nos induxerit in possessionem infinitorum bonorum, quæ habere non possumus nisi per illum; ipsa aperuit nobis

R r r 3 portas

Quantum  
amare re-  
neamur San-  
ctissimam  
Virginem.



portas cœlorum; ipsa nos cœcos & securos fecit vitæ æternæ, nobisque legitimum contulit jus ad possessionem Dei ipsius: Hoc facile est dictu, sed tota & integra æternitas non sufficeret ad comprehendendum id bene, quod paucula hæc complectuntur verba. O divina MARIA! si bene cognosceremus, quanta bona contulerit nobis admirabilis tua fecunditas, omnem tum Angelorum, tum hominum exoptatemus amorem ad amandum te, & fateremur adhuc, ipsum haudquaquam sufficere nobis.

Quando affixum intueor Fructum Ventris tui salutari Sanctissimæ Crucis ligno, & considero hunc fructum esse vitæ, qui gratuito offertur mihi, interrogo animam meam; cui tenêris, cuique facta es debitor ob ingentem hanc felicitatem? Bene novi, Deum Patrem esse, qui mihi dedit Filium suum Unigenitum; sed non ignoro, Sanctissimam quoque Virgineam eundem suum Unigenitum mihi dedisse Filium: debebant ambo ex propriâ suâ contribuere substantiâ, ut tam magnum pro me conficerent Salvatorem.

Non discepto, quis amborum mihi plus dederit, cuique amborum magis obstringar. Haud ignoro, quod divinitas, quæ oritur à Patre, infinitâ ratione preciosior sit Humanitate, quæ nascitur è Matre; nihilominus donum Ma-

tris magis manifestum & sensibile est dono Patris. Non aspicio tam luculenter id, quod divinitas contulit ad salutem meam, sicut id, quod Sanctissima Humanitas fecit & pertulit pro me, & mei amore. Quando aspicio Corpus adorandum Redemptoris mei, quod dilaniatum, contusum, distractum & contritum est sub torculari Crucis, dico mihi et ipsi: Ecce benedictum fructum Ventris MARIE, qui immolatus est pro me, qui que sustinuit pœnas, quas sustinere ipsemet debuissim; quando intueor pretiosum hunc sanguinem torrentis in morem, è sacratissimis ipsius vulneribus dimanantem; dico, ecce id, quod Sanctissima Virgo subministravit ipsi è propriâ suâ substantiâ, ipse dat pro salutem meâ: Novi ipsum divitem esse bonis tum Patris sui, tum Matris suæ, ipsumque pro me solvere suspendendo facultates utriusque; sed non video tam clarè id, quod confert ex bonis, quæ possidet ex parte Patris, nisi quod fides mihi dicat, ipsum exin desumere, unde dignitatem & valorem infinitum tribuat omnibus suis meritis: Et clarè ac manifestè video, quod solvat pro omnibus, è bonis, quæ tenet ex parte Matris suæ; video, quod omnia imponat absque ullâ reservatione; quod det omnia, Corpus, Animam, Sanguinem, Sudores, Lacrymas, tribulationes, labores, dolores & jejunia, ita ut ne quidem

serio pot  
derere q  
modo se  
stilitate  
fructum  
Deo per  
Sanctissi  
Virgine  
urget no  
& quafi  
git ad  
mandatum  
ipsam.

Salvator  
nobis est  
datus à Pa  
tre æternæ  
& à Sanctis  
sima Virg  
ine, sed mi  
hi sensibi  
liter à M.  
Virgine.



dem vitam reservet sibi : quis dif-  
fitebitur, quod licet hæc omnia  
non sint tam pretiosa, sint tamen  
magis manifesta, magisque eviden-  
tia, quàm ea, quæ contribuit ex  
parte divinitatis suæ.

serio pon-  
derare quò-  
modo se-  
cundum  
fructum  
Deo per  
Sanctissimam  
Virginem,  
urget nos,  
& quasi co-  
git ad a-  
mandum  
ipsum.

Eheu! nihil haberem ex DEO,  
quod mihi sensibile esset, si JE-  
SUS nil accepisset à divinâ Matre  
suâ; non haberem Sacramenta;  
non haberem annuntiationem San-  
cti Evangelij, non haberem exem-  
pla vitæ Dei-Hominis: quæ me-  
lunt regula vitæ; non haberem su-  
premam felicitatem, quâ frui con-  
ceditur mihi pane Angelorum in  
hoc deserto mundi; non viverem  
ex propriâ substantiâ Magni Dei,  
quem adoro, quam manducare  
mihi permittit, imò etiam recipere  
præcipit in Augustissimo suo Sa-  
cramento, quàmque Sanctissima  
Virgo ex propriâ suâ substantiâ sup-  
peditavit ipsi, Corpus nimirum,  
quod apponit mihi manducandum.  
Quidquid hoc est, fructus est Ven-  
tris Virginei, & pretiosus hic fru-  
ctus non est pro Angelis, sed to-  
tus est pro nobis. Nónne igitur

verum est, quod Sanctus Bernar-  
dus dixit nobis; quod nempe, si  
MARIA plena gratiarum, acceptis-  
sima & amabilissima est Deo ob  
profundam humilitatem suam; a-  
mirabilissima Angelis ob incompa-  
rabilem suam puritatem, summè  
etiam amabilis sit hominibus ob ad-  
mirabilem fecunditatem suam.

Intertogo modò, an sit anima  
tam ingrata, quæ summè se obstri-  
ctam non fateatur? Ubi cor est  
tam insensatum, sive ex ære fustum,  
sive ex lapide induratum, quod  
immensitate bonorum, quibus lo-  
cupletamur per ipsam, non emol-  
liatur? Quomodo possibile est in-  
veniri unicum solum in terris ho-  
minem, qui omnes has agnoscens  
veritates, quæ tam manifestæ sunt  
ac palpabiles, non prosequatur  
honore, reverentiâ, amore, ac sin-  
gulari devotione erga Virginem  
Sanctissimam? Ecce igitur duas pri-  
mas partes devotionis erga San-  
ctissimam Virginem, quæ respi-  
ciunt id, quod est interiùs. Ter-  
tia quæ sequitur, exteriorem respi-  
cit devotionem.

## ARGUMENTUM.

*Tertia Pars devotionis erga Sanctissimam Vir-  
ginem consistit in servitio, quod ipsi est impendendum.*

### §. III.

**T**aliter nati sumus, ut servia-  
mus, & serviat nobis, ut  
fœtè non sit homo in ter-

ris, qui innumeros non habeat  
Dominos, & innumeros similiter  
serves. Dicit omnibus, quos ha-  
bet



bet obvios, quosque salutat, se ipsorum esse servum: hi igitur ipsius sunt Domini; & si salvere iusserit millenos habet Dominos. Similiter ij, qui ipsi occurrunt, ipsūque salutant, omnes dicunt, se esse ipsius servos, ipse igitur illorum est Dominus, habet is igitur ad minimum tot servos, quot Dominos; & nihilominus reipsa nec unicum fidelem habet vel Dominum, vel servum, hi omnes loquendi modi non nisi ab extimis proficiuntur labijs, & non nisi officiosa sunt verborum blandimenta; ita ut optimè non nemo dixerit, omnes ejusmodi blandimentorum fictores, commentorum, mendaciorumque esse fabricatores.

Quando quis serio devovere se vult alicujus servitio, contentus non est verbis humilibus & affectu plenis alloqui ipsum, sed servitutis suae manifestas & evidentes exhibat notas. In primis manet in ipsius domo; secundo tesseraria ipsius utitur veste; tertio indies studet ipsi aliquod impendere servitium. Incassum dices hominibus, esse te ipsorum servum; nisi exploratum id habeant per signa externa, non credent; verum si circumferantur externa haec signa, quae ducunt in cognitionem servitij, cui obstringeris, omnes persuasum sibi habebunt, quin opus sit dicere, te esse servum personae, cujus vestiario uteris symbolo. Sic

omnino declarare debemus, non verbis, sed operibus, velut signis manifestis, clientes nos esse & servos Sanctissimae Virginis: Ecce tibi tres notas hujus praecipuas, quaeque includunt omnes alias.

Prima est, aggregare se domesticis ipsius, dando suum nomen alicui Confraternitati honori ipsius consecratae. Secunda est, portare vestem ipsius tesserariam, velut scapulare vel Sanctum Rosarium, aut quodvis aliud signum visibile, quod discernit Clientes Sanctissimae Virginis ab alijs. Et tertia est, nullum diem intermittere, quin exhibeatur illi speciale aliquod obsequium, sive sit oratio, sive sit laus, sive aliud in honorem ipsius factum opus, quod denotet zelum, quo ipsius prosequimur gloriam.

Si interroges me, quid servitij haec omnia praestare possunt Sanctissimae Virgini? an ipsa ergo indiget nostris, in affluentia honorum, quae possidet in caelo? Nonne ipsa nullam omnino patitur penuriam? Respondebo tibi cum verbis S. Bernardi: *Prorsus ita est dilectissimi, honorum nostrorum Sanctis non egent: plane, quod eorum memoriam veneramus, nostra interest, non ipsorum.* Est verissimum, fratres mei, non indigere Sanctos obsequijs nostris; Sanctissimae Virgini non opus est devotionibus nostris nec homagijs, quibus ipsam prosequimur; e re nostra est, non sua, dum habere vult.

Ad quem quis spectet Dominum servus, ob-servatur e motis externis,

Tres notas, quae declarant, esse aliquem servum Virginis Sanctissimae.

Servimus nobis ipsi lacrosissimi, dam servitium Sanctissimae Virginis.

S. Bernardus (scilicet) in Epistola Sancto- rum omnium circa modum.

Confraternitatis Rosarii, ut patet per similitudinem omnium circa modum.



vult nos sibi servos; & si fructum spectamus, nullum illa trahit è devotione nostrâ, nobis totus integer manet; & ut verum dicam, nobis ipsis servimus, dum ipsius nos servos declaramus. Videre cupis, quomodo serviamus nobis ipsis maximo cum nostro emolumento, dum verè Sanctissimæ Virgini sumus devoti.

Imprimis si semel adscriptus es Confraternitati Sancti Rosarii, participem te reddis omnium bonorum, quæ fiunt per totum orbem in Sanctâ hac Confraternitate; Exempli gratiâ, in partem venis omnium orationum, quæ fiunt à fratribus & fororibus, quorum numerus tam ingens est, ut forsane eorum recensere sit plures, quàm millenos miliones in universâ Ecclesiâ, & hos inter, plures Sanctas animas, quæ acceptissimæ sunt Deo, quarumque exaudiat preces; Et omnes Deum obsecrant pro te; participas igitur plus quàm milenos miliones coronatum vel Rosariorum quæ recitantur per totum orbem quotidie. Quantas divitias tibi hac ratione accumulâs? Si lucrari multum te credis, recommendans te precibus bonæ cujusdam animæ in particulari; quantum tibi emolumentum, dum certus es, tot tantasque bonas animas precari Deum & Sanctissimam Virginem incessanter pro te! quoties enim recitant *Ave MARIA*, dicunt & obsecrant: *Sancta MARIA MA-*

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

ter Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ; non dicunt solum, ora pro me in particulari, sed ora pro nobis, id est, pro omnibus Confraternitati nostræ aggregatis; & hæc una ratio- num est, cur dicatur, difficulter aliquem Confratrum perire posse, nisi datâ operâ ipsemet velit, eod quod tot Sanctas habeat animas pro se Deum orantes, & quidem in periculoso instanti mortis suæ; ubi tot ac tantæ personæ actualiter orant & dicunt: Sanctissimæ Virgo ora pro nobis, nunc & in hora mortis nostræ.

Ultra hoc poteris tam ingenti numero Indulgentiarum pro servis Sanctissimæ Virginis concessarum, ut videatur Ecclesia in hoc notam incurrisse prodigalitat. Indulgentiâ frueris plenariâ, quando constitutus in gratiâ hanc ingrederis Confraternitatem; Indulgentiâ plenariâ, in omnibus Virginis Sanctissimæ Festis, si confitearis eod die, & Sacrâ Synaxi reficiaris; Indulgentiâ plenariâ, quæ sit momenti maximi & certissima in hora mortis, si pronuntiaveris devotè Sanctissima Nomina JESU & MARIAE: & consequenter devotio erga Sanctissimam Virginem servit pro purgatorio amoris cunctis fidelibus ipsius servis, per quod eximuntur, à purgatorio ignis summè pœnoso, summè crudeli. Sed ultra omnes has Indulgentias plenarias, plurimas habes alias parti-

Quantas  
lucentur  
Indulgen-  
tias servi  
Sanctissimæ  
Virginis.

SSS

cula-



culares, quas lucratis dicendo Rosarium, assistendo processionibus, & alijs Sancti Rosarii devotionibus. Eadem est ratio circa Confraternitatem Sacri Scapularis: Lege parvos libellos hæc super re editos, qui complectuntur tum obligationes, tum utilitates cujusvis Confraternitatis, ubi annotantur Bullæ authenticæ summorum Pontificum, qui illas concesserunt; ubi invenias ansam tum gaudendi, tum tristandi; gaudendi quidem pro ijs, qui his Confraternitatibus sua dedere nomina, & tristandi pro ijs, qui cum illarum non existant membra privantur omnibus hisce bonis, cum maximo damno suo. Eheu! ubi est fides nostra? tanta nos tenet sollicitudo, ut evadamus in servos & domesticos Regis alicujus terreni, eoque honorem & utilitatem post se trahat, servum esse tam magni Domini; & nulla nos cura tangit, ut servos agamus & domesticos Reginae cælorum, quæ incomparabiliter majores servis suis largitur honores, majora imperitur privilegia.

Secundo si portaveris tessarium summæ hujus Principis, quæ per antonomasiam à rotâ Ecclesiæ nostræ vocatur Domina, vestimentum, veluti Rosarium. Scapulare, vel aliud quoddam signum, quo manifestè declaratur, te pertinere ad ipsam, teque ipsius esse servum, an dubitare possis, quin ipsa specialem tui suscipiat curam,

singularem tibi impendat protectionem? si unusquisque tenetur majorem habere curam servorum & domesticorum suorum, quam aliorum, nisi juxta effatum Sancti Pauli inurere sibi velit notam infidelitatis, quomodo non credamus, Sanctissimam Virginem eorum habere curam, qui auspiciatâ fruuntur sorte, ut sint è numero servorum & domesticorum ipsius? Osi intueri liceret, quantum Corona Virginis portata cum veneratione, & cum devotione recitata enervet vires diaboli, quantum conferat roboris clientibus Sanctissimæ Virgini devotis? quantum infringat tentationes, quantum confirmet animas fidelium ad resistendum illis; & tandem, quam gloriosas largiatur illis victorias contra omnes salutis suæ adversarios!

Si judicare volumus de eo, quod accidit interiùs, ex eo, quod Deus ostendere voluit exteriùs, aspiciamus insignes & prodigiosas victorias, quas reportarunt Catholici contra Hæreticos Albigenes tempore Sancti Dominici. Videre erit in Historiâ Simonem quendam, Comitem de Montfort summâ addictum devotione Sancto Rosario, exstimulante ipsum ad hanc Sancto Dominico, qui cum quingentis solummodò viris, prostravit exercitum decem millium Albigenium; Videbitur in quibusdam congressibus, triginta hujus Comi-

Quam  
pfecte  
sancti  
Virgi  
pe di  
cum  
tione  
MAD

Quam  
le sit, pro  
re aliq  
signum  
sibile, q  
delectat  
esse aliq  
servum  
sanctiss  
Virgini



Comitis milites egisse in fugam ter millenos aliorum; videbitur etiam, exiguam turmam, compositam duntaxat ex octingentis Equitibus, & peditibus millenis horrendum profligasse exercitum centies millenorum hæreticorum Albigen- sium, quorum pars maxima cecidit in prælio, cæteri omnes in tur- pem coniecti sunt fugam. Nonne hoc conferat fiduciam profligandi quoque Legiones & catervas Dæ- monum, qui peiores & deterio- res non sunt hæreticis? veniant hi & invadant unicam solam animam devotione Sancti Rosarij armatam, & Sanctissimæ Virginis subsidio protectam, quis dubitet, quin omnes non minus, quam hæreti- ci, sternendi sint & superandi.

Quantum  
possent  
Sanctissimæ  
Virginis se-  
pe dicere  
cum devo-  
tione Ave  
MARIA,

Unicum solum *Ave MARIA* cum devotione pronuntiatum mi- ram habet virtutem contra totum infernum. Sanctissima Virgo re- velavit Sanctæ Mechtildi, nullum sibi præstari obsequium, quo ma- gis oblectetur, quam frequentem recitationem Salutationis Angeli- cæ; cujus insuper reddidit ratio- nem die quodam apparens ei, cum divinâ hæc salutatione literis aureis exarata, quam in pectore suo por- tabat; dicens ipsi hæc verba, quæ in præfata Sanctæ vitæ recensentur: Impossibile est creaturæ ima- ginari sibi salutationem æqualem, quæ mihi allata est è cælo, & de- nuntiata ab Angelo; & nihil est, quod majori afficere possit cor

meum gaudio, quam hæc ipsa sa- lutatio. Quando dicitur mihi *Ave MARIA*, recordor honoris, quo affecit me Deus, dum salvari me iussit ab Angelo salutatione, quæ omni referta erat benedictione: quando adjungitur *gratiâ plenâ*, reminiscor abundantiæ gratiarum, quibus ex suâ bonitate dignatus est meam replere animam, ad dispo- nendum me, ut fierem Mater Dei; quando exin dicitur, *Dominus te- cum*, occurrit animo magnum il- lud prodigium, quod totam in stu- potem rapuit naturam, dum pro- prius Filius Dei annihilare se voluit eòsque, ut propriam meam assu- mere substantiam humanam, post- quam substantiam acceperat divi- nam ab æterno Patre suo, & nasci ex utero meo in tempore, qui ex utero Patris sui nascitur in æterni- tate, ut fieret æquè reipsâ Filius meus Unigenitus, sicut Unigeni- tus Filius est divini Patris sui: quan- do adnectitur; *Benedicta tu in mulieribus*. Revoco in mentem omnes benedictiones, omnèsque laudes, quæ incessanter exhiben- tur mihi in cælo & in terrâ, ob di- gnitatem Matris Dei, quæ me vo- luit honorate; & quando dicitur; *Benedictus fructus Ventris tui*, re- novatur in corde meo gaudium, quod dimanavit in me, dum vin- culo tam arcto conjuncta fui cum proprio Filio Dei; & recordor, ve- rum fore in æternum, quod Ma- ter sum Dei, & ipse meus sit Filius;



quòdque hác ratione ego sola plus habeam juris possidendi ipsum, quàm omnes simul creaturæ habere possint.

Tandem, quando concluditur hęc salutatio per orationem, quam tota Ecclesia mihi destinavit, in Concilio quodam Generali: *Sancta MARIA Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ*; agnosco obligationem, quam habeo compatiendi miseris peccatoribus, illos amandi, pro illis orandi, eòquòd ipsi occasio meæ fuerint felicitatis; non invenissem ego gratiam, nisi ipsi eam perdidissent; non extitissem ego Mater Salvatoris, si ipsi non indignis salute; & tandem non accepissem ego hanc gratiarum, quibus replet, abundantiam, si esse non debuisssem Mater Misericordiæ & Refugium peccatorum.

Si verum est, quòd unicum Ave MARIA Excitet tam teneros in animâ Sanctissimæ Virginis affectus, quando cum devotione recitatur; quòd exstimulet ipsam ad protectionem & defensionem recitantis illud, ità ut evadat *terribilis ut castrorum acies ordinata*, adversarijs & inimicis salutis ipsius: si unicum, inquam, solum Ave MARIA tantæ est virtutis, quid igitur erit, si repetatur toties quotidie, dum in sancto Rosario recitatur cum devotione? Quâ ratione fieri possit, ut anima in hujus recitatione assidua & constans non semper triumphet de inimicis salutis suæ?

Tertiò ostendis te manifestè servum Sanctissimæ Virginis, si nec unicum prætermittas diem vitæ tuæ, quo ipsi speciale non exhibeas obsequium: Siquidem hoc verè est, devovere se servitio alicujus, si serviat illi quotidie: Non est igitur prætermittendus unicus solus dies absque Exercitio alicujus boni operis, vel alicujus mortificationis, Ex amore illius; vel abs eo, quod opera collocetur in amplificandâ pro viribus ipsius gloriâ; modò faciendo verba de Excellentijs ipsius ex abundantia cordis, pleni reverentiâ & amore, conando omnes illos, quos poteris, in tuam trahere sententiam; modò opponendo te cum fervore ijs, qui reprehendere hand verentur devotionem erga ipsam; modò inquirendo occasionem cuivis eandem persuadendi; modò ipsius salutando Imagines personam illius tibi præsentantes, illasque cum reverentiâ asservando in domo aut conclavi tuo, velut Matris ac Dominæ totius familiæ, insuper efficiendo, ut tui domestici se contineant in humilitate, in pace, in concordia, velut in præsentia ipsius; modò aliquam Eleemosynam elargiendo pauperibus, illòsque adhortando, ut esse studeant Sanctissimæ Virginis servi, ipsius dicant Coronam, ipsius se aggregent Confraternitati; modò solemniter celebrando omnia ipsius Festa, eâ omninò ratione, quâ celebratur dies paschæ,

jeju-

Declaramus nos servos Sanctissimæ Virginis, & quod aliquod præstatum servitium.

Pelbartus in Stella lib. 12. art. 3. Machovien Super Li. Lauret. disc. 22. n. 4.



jejunando in vigilia, confitendo & communicando illo die, illumque exigendo in precibus, vel jejunando die Sabbathi, qui dies specialiter consecratur ipsius devotioni ab Ecclesiâ universâ.

Innumerabilis multitudo hominum diversæ conditionis exercuerunt hanc jejuniij devotionem die Sabbathi in honorem Virginis Sanctissimæ per cuncta fermè sæcula; Et plurimæ bonæ animæ. Exercent illam adhuc hodie in universo orbe; eòquod à plerisque piè credatur, illos, qui fideles & constantes in hac fuerint, obtenuros gratiam non moriendi absque confessione. Tu qui non facilem rebus adhibes fidem, an nôsse cupis, in quo pia hæc fundetur opinio: Diversi Auctores, qui scripserunt de miraculis Sanctissimæ Virginis, plura referunt Exempla, quibus in hac fide confirmatur mundus. Inter alios sanctus Anselmus, cujus Auctoritas summi est, ponderis recentet Exemplum adeò prodigiosum, ut totum mundum rapiat in admirationem. Insignis quidam latro, cum ingressus domum pauperis cujusdam mulieris ad exspoliandum illam, nihil ibi invenisset, asperè interrogavit illam: An nihil tu hodie comedis? Respondit ipsa, non; Est dies Sabbathi; receptum more habeo jejunare hoc die; quare hoc? interrogat latro? quia audivi eos, qui exercent id devotionis in honorem Sanctissimæ Virginis, nun-

quam mori absque confessione & pœnitentiâ, & si benè id faciant, securos esse de salute suâ.

Latro his verbis scæminæ mox commotus, & efficaci inspiratione DEI exstimulatus, prostravit se in genua, & magno cum animi fervore inquit: si ita est, Sanctissima Virgo; Ex nunc obstringo metibi, votumque tibi nuncupo irrevocabile, jejunaturum me omnibus diebus Sabbathi in honorem tuum, ut obtineas mihi gratiam, ne moriar absque Confessione: stetit promissis suis fideliter, nihilominus à sceleratâ suâ vitâ non destitit: sed quia verum est, quod dicit scriptura, peccati stipendium est mors, deprehensus in furto, feriente gladio imminutus est capite; Et ecce prodigium, attonitum quod reddit universum orbem; resectum caput sæpiùs altum inclamare cepit: Confessio, Confessio, Confessio; festino gradu adducitur Sacerdos, quem conferta sequitur multitudo hominum spectatura hoc prodigium, illudque fideli roboratura testimonio: conjungitur caput truncò, & multis cum lachrymis confitetur hic homo, receptâque absolutione, voce tam altâ, tamque clarâ, ut intellexerint omnes, dixit: Ago gratias DEO, & Sanctissimæ Virgini; nunquam totâ vitâ meâ quidquam boni feci, nisi quod diebus Sabbathi jejunaverim in honorem ipsius; Et ex abundanti bonitate suâ hæc Mater Misericordiæ

**Exemplum  
insignis  
Latronis  
conversi per  
Sanctissi-  
mam Virgi-  
nem eò-  
quod jeju-  
naverit die-  
bus Sabba-  
thi.**



obtinet mihi gratiam, ut anima mea non prius separetur à corpore, quàm peccata mea diluerim confessione; Et ego, qui sceleribus meis millenos promeruissem infernos, evolo nunc in cælum, mediante potentissimâ Sanctissimæ Virginis intercessione.

Fateor Exemplum hoc inusitatum omnino esse, sed majus non est nec mirabilius resurrectione Lazari, de quo certitudinem nobis tribuit sanctum Evangelium: nihil impossibile est DEO, & Sanctissima Virgo, quidquid voluerit, ob-

tinere potest in favorem clientum suorum, Fateor quoque, levitatem esse, credere indiscriminatum omnia, sed fatendum mihi quoque erit, nimiam fore duritiam, & quandam infidelitatis speciem, si dem non attribuere sanctorum Patrum testimonio: defectus devotionis est, tantum non confidere Sanctissimæ Virgini, ut credatur, ipsam præstitum sibi obsequium relicuram nunquam absque recompensatione. Venio ad reliqua, devotionem erga ipsam concessentia.

## §. IV.

*Quarta pars devotionis erga Sanctissimam Virginem, est, imitari illam.*

PRæcipuum est, essentiale est, vel ut melius dicam, tota quidditas est devotionis erga Sanctissimam Virginem, studere potissimum ipsius imitationi. Dico quòd essentiale sit, eòquòd absque hac, non habetur nisi devotio quædam sicca, sterilis & deceptoria: dico etiam, quòd sit tota quidditas devotionis veræ, eòquòd complectatur ipsa in se omnes tres partes, eum certum sit, me non imitatum, nisi æstimarem & amarem illam; & imitando ipsam, exploratum est, me eximium præstare ipsi servitium, eòquòd idipsum sit, quod requirit DEUS à nobis, ut nimirum studeamus efformare nos ad ipsius similitudinem: si credis

aliquem pictorem aut sculptorem acceptum tibi exhibere servitium, si estingat imaginem vel statuam te representantem, quis distitabitur, quin majus tibi obsequium reddam, si perfectam similitudinem tui ipsius, in ipsâ meâ personâ tibi exhibeam?

Aristoteles melius dixit, quàm credidit, dum dixit; hominem magis imitativum esse cunctis animalibus: Nescio, an totum esse hominis aliud non sit, quàm admirabilis imitatio Auctoris sui, & an DEUS imitatus non fuerit semper ipsam, dum creavit illum ad similitudinem suam: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* An mirum igitur sit, si  
Non est  
rior devo  
tio erga  
Sanctissimam  
ferat



nam Vir-  
ginitatem,  
quæ imi-  
tari ipsius  
virtutes,

feratur ex instinctu ad imitandum, cum esse ipsius non sit, nisi pura imitatio? Nõnne videmus, quòd infantes, ubi sola natura agit, directà à genio, quem non agnoscit, aliud non agant, nisi quòd imitentur? Ipsi faciunt omnia, quæ facere vident alios, aliudque non faciunt, eòquòd idonei nondum sint, ut alià instituantur ratione.

Eadem omninò est ratio in infantia spiritali, & in vitâ supernaturali gratiæ, quæ est in naturali; vivimus ex imitatione: facilè mihi est hâc instrui ratione, ubi impossibilè mihi foret alià ratione informari. Juvenis anima, non est adhuc idonea ad cupiendum vel magnas veritates religionis, vel ingens momentum salutis, vel putitatem ac excellentiam virtutum, vel efficaciam motiva, quibus excitaretur ad exercendum illas. Nihilominus tantùm facit, vel plùs per solam imitationem, quàm faceret cum his omnibus; agendum ipsi aliud non est, nisi aperire oculos, & aspicere perfectum quoddam exemplar; in momento ab in hoc struitur, quid sibi faciendum, imò etiam impelli se sentit & excitari ad conformandum se huic Exemplari; ipsa ambulat simpliciter, ipsa exercet fideliter, quod fieri videt ab alijs, & promptè sequitur, quò ab Exemplari dirigitur; Et omnis ipsius devotio non consistit tunc nisi in imitatione. Et ecce auspiciatam illam infantiam, quæ ita recommendatur

Nobis faci-  
lè & utilif-  
simum est,  
instituere  
& dirigere  
nos per  
imitatio-  
nem San-  
ctissimæ  
Virginis.

Non est  
prior devo-  
tio erga  
Sanctissimam

in Evangelio: *Nisi efficiamini sicut parvuli.*

O Deus! quàm admirandos progressus videre esset in animabus, si omnem semper suam devotionem collocarent in imitatione? sed pessimo contingit omine, quod cum ætatis progressu multò fiamus imperfectiores, quàm fuerimus in infantia: quantò acquirimus plùs cognitionis, tantò amittimus plùs simplicitatis, & quantò plùs discimus, tantò minùs obtemperamus; quantò plus habemus speculationis, tantò habemus minùs operationis: non amplius ita vivimus ex imitatione, volumus nosmetipsos dirigere; & tandem pro eo, quòd ab initio omnem nostram devotionem collocaverimus in imitatione, fermè in fine non nisi collocamus in speculatione; concipimus ejusdem speciosas idæas, cogitamus de illâ, loquimur de illâ, & in hoc consistere permittimus totum; vel si aliquid præstamus operis, formamus nobis devotionem nostro conformem genio, exercemus virtutem nostræ non absimilem inclinationi naturali, quod propriè est seipsum adorare, seque pascere vento & vanitate.

Quando  
cessamus  
imitari, re-  
cedimus à  
virtute.

Exoptas habere veram & solidam devotionem erga Sanctissimam Virginem, colloca illam potissimum & fermè unicè in ipsius imitatione, hâc viâ incedens aberrare non poteris: Vera devotio est, imitari quod colimus. Verùm nõn-



Matth. 5.  
v. 48.

1. Cor. 4.  
v. 16.

Quod ho-  
num sic,  
preponere  
sibi imita-  
tionem plu-  
rium exi-  
miarum  
virtutum.

ne plena temeritatis est præsum-  
ptio, interpellat ipsum bonus senex,  
imitari velle Sanctissimam Virgi-  
nem; & nonne reprehensione di-  
gnum est consilium, aucupari simi-  
litudinem perfecti hujus Exempla-  
ris? Non, respondit Viator, ed-  
quod ipsemet JESUS CHRISTUS  
præcipiat nobis, *ut perfecti simus,*  
*sicut Pater noster coelestis perfectus*  
*est.* Sanctissima Virgo nobis di-  
ceret, quod magnus Apostolus exa-  
ravit ad Corinthios: *Imitatores*  
*mei estote, sicut & ego Christi;*  
tamen nunquam seis assecuturi  
perfectam mei similitudinem; sicut  
& ego nunquam assequi possum  
similitudinem JESU Christi per-  
fectam: Velut si tyrones in pictu-  
râ imitari conantur præstantissimas  
imagines peritissimorum Artifi-  
cum, etsi nunquam perfecte imi-  
taturi sint ipsarum Archetypum sal-  
tem ipsarum assumunt, & paulisper  
expriment modum, nec intermit-  
teret certa effingere lineamenta,  
quæ referant aliquid singulare; ita  
dum proponimus nobis imitari vir-  
tutes Sanctissimæ Virginis, quæ  
summæ sunt perfectionis, quam-  
vis adæquare ipsas nobis non liceat,  
fieri tamen non potest, quin exi-  
miam quoddam operationem effi-  
ciant in animâ, ibique nonnul-  
la relinquunt perfectionis linea-  
menta.

Qui proponeret sibi imitatio-  
nem omnium virtutum Sanctissi-  
mæ Virginis, moliretur consilium,

quod congruum posset esse argu-  
mentum plurium voluminum;  
tam ingens argumentum constri-  
ngi non potest parvâ & tenui alicu-  
jus Consultationis parte: Verum  
quia opus est aliquid hic tangere, ad  
complendum integram materiam  
circa devotionem erga Sanctissi-  
mam Virginem, oportet saltem  
seligere præcipuas aliquas ipsius vir-  
tutes, illasque nos tanto cum fer-  
vore ac fidelitate imitari, ut hæc  
imitatio sit quasi præcipua pars,  
magisque essentialis devotionis no-  
stræ. Sanctus Bernardus aspicit  
illam velut amœnum quemdam  
hortum, ubi omnes virtutum flo-  
res maximo cum splendore se ex-  
hibeant visendos, & gratissimum  
diffundant odorem: Sed inter alias  
observat tres, quæ transcendunt  
omnes: *Hortus conclusus,* inquit,  
*tu es Dei Genitrix, ad quem de-*  
*florandum manus peccatoris nun-*  
*quam intravit: Tu Sanctorum a-*  
*reola aromatum à coelesti consta-*  
*pigmentario, virtutum omnium spe-*  
*ciosis floribus delectabiliter vernas:*  
*inter quos pulcherrimos flores tres*  
*miramur in te, ô Excellentissima;*  
*Hi sunt, quorum odore suavissimo*  
*totam domum Domini reple, O*  
*MARIA, viola humilitatis, lili-  
um castitatis, rosa charitatis.* Non-  
nisi duo vel tria verba tibi dicam  
de quâlibet, quod superest, relin-  
quens tibi addiscendum in scho-  
lâ Spiritus Sancti, quæ est o-  
ratio.

S. Bernar-  
dus in De-  
votione  
ad B. Virg.

S. Bernar-

Quan-



Quantum ad humilitatem, ipsamet dicit nobis, quod aspectus sui nihili attraxerit oculos Dei supra se: *Respexit humilitatem ancilla sua*; id est, quod cognitio clara & certa, quam habebat de suo nihilo, vel potius persuasio & fides viva, quam circumferebat de illo in penetralibus cordis sui, præ omnibus placuerit Deo, quasi omnes alie virtutes, cumscunque essent decoris, disparuissent præsentate humilitate; eâ fermè ratione, quâ reliqua astra, quantumvis splendidissima in seipsis, disparent in præsentia solis: quod sicut tota natura non habet oculos nisi pro hoc aëtorum principe, quasi in cælo aliud lumen non esset, dum nostro is adest hemisphærio; sic videatur, quod Deus non habuerit oculos, nisi pro humilitate Sanctissimæ Virginis, quasi ipsius splendor offuscasset pulchritudinem omnium aliarum ipsius virtutum: Conjice ex hoc, non dico, comprehende (hoc enim absolute impossibile est intellectu) sed conjice saltem ex hoc, in quo perfectionis gradu ipsa hanc possederit virtutem. Sanctus Bernardus affirmat, quod humilitas plurimum contulerit ad comparandam illi incomparabilem dignitatem Matris Dei, quodque, si etiam humiliorum inter omnes creaturas licuisset invenire, hæc ipsi fuisset anteposita, & cum detrimento ipsius præ-

*Be P. Isaac Consultat. Tom. III.*

lecta. *Virginitate plucuit, humilitate concepit.*

Hoc clare insinuat nobis, quod si attrahere cupias oculos Dei supra te, fortiores invenire non possis illecebras, quam humilitatem. Sacer codex nonne verbis manifestis nobis asserit: *Humilia respicit, & alta à longè cognoscit?* quo innuitur, quod peramanter Deus suos demittat oculos ad aspiciendum humiles, & cum indignatione illos à superbis avertat. Si hujus nosse cupis rationem, hæc est, quod anima perfecte humilis, quæ absorptam se servat in suo nihilo, maneat in veritate; veritas enim est, quod ipsa nihil sit ex se ipsa; hinc Deus, qui amat veritatem, videns ipsam in humilitate constitutam, nunquam non benigno ipsam intuetur oculo; E contra si præsumat se aliquid esse, manet in mendacio; non enim verum est, ipsam esse, quod de se præsumit; sed potius verum est contrarium, quod ipsa sit nihil; hinc Deus, qui tantum odit mendacium, quantum amat veritatem, aspicit ipsam tantò cum contemptu, quantà cum estimatione & amore intuetur alteram. Si igitur aliquid habeas humilitatis, id est, veram quandam persuasionem & fidem de tuo nihilo, jam aliquid habes illecebrarum, quibus attrahas oculos Dei; si illius plus habeas, jam dignus magis es, qui aspiciaris ab ipso; quod si illam haberes perfectissi-

T. t. t. mam,

Amare & imitari debemus, quantum possumus humilitate Sanctissimæ Virginis. Psal. 137. v. 6.

Cur Deus aspiciat benigno oculo animam humilem,



nam, o quantā demulceretur  
Deus voluptate, aspiciendo te.  
Statue tibi ob oculos summam fe-  
licitatem, quam comparavit San-  
ctissimæ Virgini maxima ipsius hu-  
militas, & probè pondera hæc ver-  
ba: *Respexit humilitatem ancilla  
sua*; amplectere ipsius mentem,  
illamque imitari contende. Ut in  
hoc efficaciter te adjuvem, nonni-  
si unicum tibi impertior exerci-  
tium, quod breve videtur & facile,  
sed quod reipsa tam longam com-  
plectitur philosophiam, ut tota vi-  
ta tua non sufficeret ad assequen-  
dum ipsius metam.

Efficax &  
facile exer-  
citur ad  
acquiren-  
dam humi-  
litem.

Interroga serio temetipsum, un-  
de venis? & quò vadis? responde-  
re ad hæc non poteris, cum nescias  
utrumque. Interrogas te, unde  
venias? Ubi cras ante centenos &  
millenos annos, & prius adhuc ab  
ipsa mundi creatione: & in æter-  
nitate, quæ præcessit te, ubi eras?  
Respondendum est, & responde-  
re non potes, nisi confitendo;  
eram nihil. O nihilum æternum!  
quod negari non potest absque  
mendacio, quod aliud magis pro-  
fundum est nihilum nihilo ipso;  
sed quod fateri non possumus, quin  
submergamus in illo omnem ani-  
mi humani superbiam; hæc enim  
hebetatur in nobis & obtunditur,  
quando intueri & confiteri debet  
infinitam suæ originis vilitatem &  
abjectionem: ipsa se forsitan volet  
defendere, dicendo; parùm meâ  
refert, unde veniam; origo mihi

communis est cum Regibus terræ  
& cunctis Magnatibus mundi: non  
solent homines sibi hoc exprobra-  
re invicem; sufficit, me talem esse,  
qualem Deo placuit me creare,  
mèque egressam esse è miserabili  
hoc statu, quò amplius non re-  
vertat.

Sed quo vadis! attende tibi, &  
omnem animi intende nervum, ut  
congruè respondeas quæstioni,  
quam propono tibi: Quid futurus  
es! an salvus eris! an damnabe-  
ris! nihil horum nôsti: Itane nun-  
quam non vadis, & nescis quò va-  
des? an ingredieris egrediens mun-  
do in æternitatem infinitis refertam  
bonis, vel in æternitatem infinitis  
redundantem malis? nil tibi con-  
stat de hoc; certus tamen es, te in  
omnem æternitatem in unâ fore,  
vel in alterâ; & hoc inævitabile  
est; unum è duobus fieri necesse  
est, vel esse te sine fine in cælo,  
vel perpetuè te esse in inferno. Jam  
quemcunque eventum res obti-  
neat, utrobique reperire est aby-  
sum humilitatis, ubi oporteat ma-  
ximam mundi arrogantiam absor-  
beri & prorsus submergi, nisi stu-  
pidior sis & stolidior bestiis ipsis.

Siquidem si absque fine perma-  
nendum tibi sit in æternitate bea-  
tâ, hoc esse non poterit absque  
profundissimâ humilitate; nôsti  
enim, unicam superbam cogitatio-  
nem inde expulsisse malos Angelos  
in æternum; quâ igitur ratione tu  
parvus vermiculus terræ speres il-  
luc



luc ingredi plenus arrogantia? Exploratum tibi est, id esse impossibile; oportet ergo navare te operam acquirendæ humilitati, alias nunquam intrabis illuc: probè nôsti, JESUM CHRISTUM, qui est veritas ipsa, dixisse in Evangelio, & suis dixisse Apostolis, qui perfectissimi erant in Ecclesiâ, habentes tamen parvam adhuc honoris & dignitatis appetentiam: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*: An tu præsumas ingressurum te illuc, absque profundâ humilitate, cum ipsis Apostolis id fuerit impossibile? Perpende hoc feriò, pondera id tecum maturè & cum otio, & videbis ex parte cæli absolute tibi necessariam esse humilitatem.

Discursus  
efficax ad  
perluadendam  
humilitatem.

Verùm si adjudicandus sis in æternum inferno, alium non inquiras gurgitem ad submergendum ibi tuam superbiam, teque inducendum, ut maximum concipias tui ipsius contemptum. Aspice te modò illic, ubi manendum tibi est in æternum. O Deus bone! O Deus æterne! O Deus Omnipotens! qui excavasti & aperuisti hanc abyssum, ut humiliates ibi superbos? Ubi est ambitio, quæ stante hac cogitatione stare possit ac subsistere? Aspiciere ambitiosum hunc, actum præcipitem in eloacam totius universi, oneratum odio & contemptu omnium creaturarum; unde ergo ipsis enutria-

tur ac vivet ambitio? Videre hunc bufonem totum inflatum arrogantia, immersum foeditissimis ac summè abominandis spurcitijs, in hisce se volutare, hisce se ingurgitare, & infamibus hisce sarcire se venenis, quin unquam aliud habiturus sit alimentum? Venite superbi, & aspiciate vos in hoc statu vobis inevitabili, & hoc in æternum, in æternum, in omnem immensam æternitatem. Aspiciate propè, intuitu fixo & immoto considerate horrendam ac metuendam hanc veritatem, & persistite, si potestis, in ambitione vestrà. An superbus sit adeò desperatus, qui non terreatur, qui non frangatur veluti vitrum? necesse est perfundi horrore, pudore, humiliatione, nisi habeatur, nisi possideatur humilitas.

Ecce igitur collocatum te duo inter torcularia, quæ necessariò tuam diffingent superbiam, & extorquebunt ex illâ humilitatem. Si interroges temetipsum; quò vadis? Quid eris? an salvaberis in æternum? an in æternum peribis? Impossibile est, neutrum contingere: attollo oculos in cælum, pervenire illuc non possum nisi per profundam humilitatem; demitto oculos in infernum; si forte ac morte pessimâ in hanc per omnem æternitatem devolvat abyssum, prò quàm horrenda humiliatio! discurre desuper quantum potueris & volueris, inquire de-

Dilemma  
magno-  
boris.



sendendi & excusandi te modos & media, infla animum, quantum placuerit, modò huic vacaveris exercitio, tibi que sapius hanc feceris quaestionem, illa nque seriò ruminaveris: pro certo teneo, obstinatissimam omnium superbiam fore atterendam; & deinceps alios affectus, nisi vilipensionis sui ipsius, rimoris ac humilitatis animam haud occupaturos.

Qui imitatur bene humilitatem Sanctissimæ Virginis, imitatur etiam ipsius puritatem.

Si imitatus bene fueris Sanctissimam Virginem in humilitate ipsius, comparaveris tibi dispositionem optimam imitandi quoque illam in ipsius puritate; nemo imitatur illam in harum virtutum unâ, quin imitetur illam quoque in aliâ: videntur hæ esse ab invicem inseparabiles, & se se invicem conservare, sicut duo vitia, quæ oppugnant illas, ferè nunquam ab invicem separantur: omnes superbi facillè deflectunt in lascivos, & omnes lascivi plerumque sunt superbi: Et certum est ex opposito, raro aliquem addictum esse humilitati, quin addictus quoque sit puritati: ambæ hæ virtutes pari ratione excellunt in Sanctissima Virgine; si ipsa est inter humiles humillima, est quoque inter Virgines purissima; vide quàm excelsum gloriæ conscenderit fastigium per Virgineam puritatem suam.

Puritas Sanctissimæ Virginis transcendit illam totius naturæ humanæ est nobilior & perfectior illâ omnium Angelorum in cælo, imi-

tatæ mirificè illam DEI ipsius, præcipuè in tribus. Primò, quòd ipsa conjuncta sit prodigio tam raro cum Virginitate, ut non sit in totâ naturâ divinâ nisi solus Pater Virgo, & in totâ naturâ humanâ, non nisi sola Mater Virgo: Non est, nisi solus Pater Virgo, in quo Virginitas conjuncta invenitur cum fecunditate; Et hic est DEUS Pater; Non est, nisi sola Mater Virgo, in quâ Virginitas similiter cum fecunditate reperitur unita. Et hæc est Virgo MARIA. Secundò, quòd Virginitas Domine nostræ producat personam quandam divinam ex propriâ substantiâ suâ, æquè realiter, sicut Virginitas Patris æterni eandem producit personam divinam, totam suam communicando ipsi substantiam. Et tertio, quòd Virginitas MARIE, quæ tam secunda est, exhaustiatur per generationem Unigeniti sui Filij, sicut Virginitas Patris, quamvis infinitâ ratione fecunda sit, tota exhaustiatur Unigeniti Filij sui generatione.

Videte & admiramini hoc prodigium omnes, qui devoti esse desideratis Sanctissimæ Virgini: memineritis, ut placeatis illi, non sufficere, ut studeatis puritati, quæ attollat vos supra omnem infirmitatem naturæ humanæ, quæque adæquet puritatem Angelorum; sed noveritis, quòd ad imitandum ipsam in aliquo, necesse sit, Virginitatem vestram esse tam secundam, ut concipere vos faciat DEUM in

Virginitas Sanctissimæ Virginis imitatur illam Patris æterni in tribus.

Matth. 7, 50.

Ambr. puritas quomodo conferat.

Recl. 7, 3.



vobis ipsis per operationem Spiritus Sancti; confidite, potestis illud; siquidem quod dicit JESUS Christus clarè in Evangelio, verum est, nimirum animam, quæ fideliter exequitur voluntatem divini Patris sui, verè esse Matrem suam: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & Mater est.*

Matth. 12.  
7. 59.

Amanda  
puritas, &  
quomodo  
conservevan-  
da.

Itane, anima mea, frui poteris honore, ut Mater sis DEI, si exactè impleveris voluntatem divini Patris ipsius? Evangelium, quod non mentitur, clarissimis id verbis asserit; sed memineris, habere ipsum velle Matrem Virginem. Ne igitur credas, assecuturum te unquam possessionem tam ingentis gloriæ, nisi fueris castissimus in totâ personâ tuâ, castus in animâ tuâ, castus in corpore tuo, castus in cogitationibus tuis, castus in verbis tuis, castus in omnibus operibus tuis, castus in oculis tuis, castus in auribus tuis, castus in ore tuo, castus in manibus tuis, castus in corde tuo, & tandem castus in omnibus, quæ spectant ad te.

Fac minimam impuritatis abhorreas speciem, velut aspectum serpentis, qui occurreret tibi, tuisque ex improvise objiceretur oculis: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum*: minima serpentis morsuicula semper est periculosa; & tenuissima ignis impudicitæ scintilla, si attingat te, in periculum te committit flagrandi in æternum; non

Eccl. 27.  
1. 2.

solum fugiendum est malum, sed minima species mali, nihilque negligendum, quamvis videatur levissimum; & adverte, quòd, si quandoque permixtum esset nutrire scrupulum, id potissimum locum haberet hæc in materiâ; non quòd percelli oporteat terrore ex cunctis malis cogitationibus mentis occurrentibus, vel ex impuris imaginibus in phantasiâ tuâ efformatis, vel ex inordinatis, qui invito te, excitantur in te motibus; siquidem quantò magis hæc omnia te affligunt, tantò magis aliena sunt à voluntate tuâ, quæ sola peccare & facere potest malum. Sed quando dico, quòd permixtum sit inclinare paulisper in hæc materiâ versus scrupulum, intelligo ne quis unquam voluntariè admittat minimam licentiam, vel indecentiam levissimam. Et hæc ratione imitaberis optimè Sanctissimam Virginem in puritate ipsius.

Et quantum spectat ad charitatem illius, quæ Regina est, & nobilissima virtutum omnium, quibus condecorata fuit anima ipsius, in hæc potissimum devotorum suorum requirit imitationem, velut in re, quâ plurimum excellit ipsa: perspectum est mihi, sublimissimam Sanctissimæ Virginis dignitatem consistere in divinâ ipsius Maternitate, sed maxima ipsius sanctitas consistit in charitate illius; & quamvis ipsa beatissimam se æstimet, eò quòd sit Mater DEI, in-

Maxima  
dignitas  
Sanctissimæ  
Virginis est  
ipsius Ma-  
ternitas;  
sed maxi-  
ma ipsius  
sanctitas est  
illius Cha-  
ritas.



comparabiliter tamen beatior se credit, eòquòd perfecto ardeat amore erga Deum suum. Estimabat ipsa quidem uterum suum maximà locupletatum felicitate, eòquòd completeretur in se propriam personam Filij Dei; absque comparatione tamen majori ditatum felicitate estimabat cor suum, eòquòd divino ipsius repletur amore; ita quidem, ut maluisset carere dignitate Matris Dei, quàm privari minimà portione amoris sacri. Collige ex hoc, quanti estimaverit hunc ipsa, eòquòd ipsum prætulit tam excellenti dignitati Matris Dei, & disce ab illà omnem tuam supremam felicitatem exemplo ipsius collocare in hac, quòd ames Dominum Deum ex toto corde tuo.

Quòmodo imitanda sit Charitas sanctissimæ Virginis.

Non poteris unquam imitari ipsam in aliquo, quo magis oblectetur, nec magis solidà, magisque certà ipsam prosequi devotione, quam si amare contendas dilectissimum illius Filium, sicut ipsa amavit eum, & amabit in æternum. O quàm acceptabilis hæc ipsi est devotio, si unias cor tuum cum corde ipsius, ad amandum illum cum ipsà & eodem amore ipsius! Verùm ne injurià ipsam afficias, uniendo cor tuum impurum cum corde ipsius, quod tam purum, tamque sanctum est. Oportet igitur ante omnia optimè expurgare cor tuum ab omni maculà peccati etiam minimà, aliàs ne

aucuperis honorem nec auspiciam sortem, quàm accenseatis devotis Sanctissimæ Virginis clientibus ac servis. Siquidem an laudabilis foret devotio, esse exempli gratià superbum; & honorare velle sanctissimæ Virginis humilitatem, vel inhiare voluptatibus carnis, & venerari velle puritatem ipsius Virginalis; vel amare mundum & temetipsum, serviendo in morem mancipij inordinatis affectibus & inclinationibus tuis, & dicere devotum te esse Sanctissimæ Virgini, cui hæc cor, nec animus erat nisi in Deum. Quàm ratione inter suos te ipsa recenseat, tibi que suam impendat protectionem, si peccata tua inimicum te constituant Unigeniti Filij ipsius. Servus nequam opprobrium est Domini sui. Salyanus dicebat, Christianos perversos & scandalosos opprobrium esse JESU Christi: *In eo, quod Christianus populus sumus, opprobrium Christi esse videmur*: Nihil ita damnat devotionem erga sanctissimam Virginem, quàm intueri, quod illi, qui hanc profitentur, meliores non sūt ipsi, qui ipsam impugnant. Et nihil atrociori ipsam afficit injurià, quàm si protestemur, nos spectare ad ipsam, ipsique nos esse devotione addictos, interim tamen attipiamus manu pugionem ad enecandum tot iectibus ipsius Filium, quot peccatis offendimus illum: Et tandem, ut concludam omnia hæc



hæc verbò; vera devotio erga sanctissimam Virginem præcipuè consistit in imitatione; ut magis te ad hoc impellam, dicam tibi.

## ARGUMENTUM.

*Quid efficaciter exstimulare debeat omnes ad devotionem erga sanctissimam Virginem.*

### ARTICULUS III.

**P**Ræverti Viatorem nostrum, ipsiusque dixi: quid acturus es Domine! Videtur mihi opus haud esse, tam seridò, adhortati omnes ad devotionem erga sanctissimam Virginem; sed potius opus foret prudentiâ, moderando ipsam, cum procul dubio declinet & vergat in excessum. Nónne videmus, plùs confidentiæ esse simplicibus erga sanctissimam Virginem, quàm erga Deum; ipsosque sæpiùs confugere ad MARIAM, quàm ad ipsum vel JESUM Christum? Nónne ingens error est, exspoliare gloria Filium, ut conferatur Matri? si princeps, qui videt, aulam amici sui numerosiorem & pulchriorem esse aulâ suâ, facile offenditur, suumque amicum in suspicionem vocat, an Deus, qui infinitâ ratione magis zelotypus est suæ gloriæ, quàm omnes principes terræ, sicut ipsemet hæc nobis declarat in S. Scripturâ: *Gloriam meam alteri non dabo*; non offendatur, dum ita tota confidentia collocatur in Virgine, sæpiùsque ad illam, quàm ad ipsum recurritur.

O quàm malè rem sumis, respondit mihi; non judicandum est de rebus divinis, juxta rerum humanarum regulas: Non ab uno, oriri posse in animo quorundam Principum Zelotypiam, quando vident majores exhiberi honores alijs, quàm Majestati suæ; nihilominus infirmitas hæc non afficit omnes magnos principes: an considerasti, qua ratione Rex Ægypti adhibuerit antiquum illum Joseph? Nónne cum voluptate intuebatur, quòd major huic suo amico exhiberetur Veneratio, quàm sibi, quòdque omnes confugerent ad ipsum? procul absuit displicuisse hoc ipsi, ut potius juxta suam id fuerit mentem, eò quòd omnem suam potestatem illi consignaverit manibus, omnes suos ipsi concediderit thesauros, & omnes suas gratias ipsius reliquerit prudentiæ ac circumspeditioni, quod medium modusque erat, alliciendi ad ipsum omnes: Imò cum videret populos recurrere ad se, ut in suis relevarentur miserijs, mittebat illos ad Joseph, ipsisque præcipiebat, ut facerent omnia, quæ



Gen. 41.  
v. 55.

quæ ipse volebat, hæcque ratione obtinerent ab eo, quod desiderabant: *Ita ad Joseph, & quidquid dixerit vobis, facite.* An credendum sit, quod JESUS Christus, minus consignaverit potestatis sanctissimæ Virgini in regno suo, quàm contulerit Ægypti Rex dilecto suo Joseph? Verum est, ipsam Deum non esse, sicut nec Joseph Rex erat; nihilominus omnes potius confugebant ad Joseph, quàm ad Regem, eòquòd is habuerit omnem potestatem Regis in manu suâ, & Principis mens fuerit, ut omnes confugerent ad ipsum, nolentis conferre gratiam ulli, nisi mediante ipso.

Sanctissima  
Virgo est  
Regina ex  
triplici ju-  
ris.

Nihilominus Rex Ægypti Regem non fecit antiquum hunc Joseph, nec hunc honoris titulum ipsi voluit conferre, quem reservavit sibi soli. Sed JESUS Christus incomparabiliter plus præstitit in favorem sanctissimæ Virginis: siquidem fecit ipsam Reginam in toto regno suo. Et ut talem vult illam agnosci, proclamari, honorari ab omnibus suis subditis, ad demonstrandam, quòd omnem suam potestatem, omnes suos titulos, omnes suas gratias ac favores ipsa suis completatur manibus. Quòmodo Regina; interrogabam ipsum, an non constât, ipsam pauperem fuisse & conjugem simplicis cujusdam fabri lignarij, qui nullâ pollebat auctoritate? Et quo jure ipsa Regina esset? Ipsa verè

Regina est, respondit mihi; ipsa propriè, & absque ullâ æquivocatione, & æquissimè Regina est, ex omni juris genere, naturalis, divini & humani.

I. Ipsa Regina est ex jure naturali, eòquòd sit Filia Regum Israël: sic tota Ecclesia salutat & reveretur ipsam in die Nativitatis ipsius, cantans cum gaudio: *Nativitas gloriosa Virginis MARIE*, ex semine Abraham, ortæ de tribu Judæ, clara ex stirpe David: ipsa igitur Regina est ex nativitate, & Mater Regis ex divinâ Maternitate suâ; Et ideo, dum sanctus Archangelus Gabriel ipsi annuntiat, quòd paritura esset Filium, simul pollicetur ipsi Thronum Davidicum: *Dabit ei Dominus Sedem David Patris ejus.* Ecce igitur ipsam Reginam ex jure naturali.

II. Ipsa Regina est & suprema Domina ex jure divino, eòquòd propriè sit Mater illius, qui inter cæteros titulos suos gloriatur, quòd sit Rex Regum, & Dominus domnantium; & ut talem declarat ipsam S. Joannes Damascenus, dicens: *Verè rerum omnium creaturam Domina facta est, cum Creatoris Mater extitit;* Et S. Bonaventura regni ipsius exponit latitudinem, dum inquit: *Virgo est verè Domina cælestium, terrestrium & infernorum.* Sed S. Bernardinus deprecat ipsam ratione quòdam adhuc magis augustâ & magnificâ: Omnes creaturæ, inquit.



Sanctissima Virgo est Regina ex jure divino.

quæ hic Pater, quæ inserviunt Sanctissimæ Trinitati, inserviunt etiam Sanctissimæ Virgini; siquidem quæcunque creata sunt à manu Dei, cujuscunque sint conditionis, sive creaturæ spirituales, sicut Angeli, sive creaturæ rationales, sicut homines, sive creaturæ Corporales, sicut cæli & Elementa, sive reprobæ, sive Beati, universim ea omnia, quæ submittantur imperio Dei, submittrunt se quoque imperio Sanctissimæ Virginis, Matris ipsius. Ipsa igitur non minùs verè Regina est ex jure divino, quàm ex jure naturali.

Ipsa est Regina ex jure humano cum Imperatores & Reges desideraverint ipsam Dominam regnorum suorum. Vide Justinum Michovicensem disc. 374.

3. Ipsa adhuc Regina est ex jure humano; siquidem quot Imperatores & Reges pietate pleni, devoverunt, consecrârunt ipsi regna & Imperia sua? Id liceret videre tibi ex Factis vastissimorum quorundamque Regnorum Provinciarum, ditionum.

1. Inter Imperatores Græcos, Constantinus Magnus, primus Christianorum Imperator, qui ubi primùm acquisivit cognitionem JESU Christi, & Sanctissimæ Matris ejus, postquam cessit Romam, quæ imperij sui erat sedes, JESU Christo. in personâ Vicarij, ipsius, erigebat sibi etiam Constantinopoli, quam consecrare voluit Sanctissimæ Virgini, augustissimum ædificans templum in honorem ipsius; & Civitas longo tempore nuncupata fuit Civitas Virginis Sanctissimæ.

R. P. Isaac Consultat. Tom. III.

Post ipsum Imperator Heraclius, postquam recuperaverat Imperium suum sibi à Cosroa Rege Persarum omninò sermè ereptum, agnovit debere se victoriam potentissimæ Virginis Sanctissimæ intercessioni, cujus durante pugna imaginem gestabat in manibus, ipsi quoque cessit imperium suum.

Ante ipsum Theodosius Junior ita devotus ac Zelosus exiit pro gloriâ Sanctissimæ Virginis, ut obtinuerit à Papa. Cælestino celebrationem Concilij Universalis Ephesini, ubi Ecclesiam videre erat velut castrorum ariem ordinatam ad oppugnandum & exterminandum Nestorium, qui negabat ipsi gloriam divinæ Maternitatis suæ.

Post ipsum Imperator Martianus eandem ostendit Zelum, impetrans à summo Pontifice convocationem Magni Concilij Calcedonensis, contra Euthychen & Sectatores ejus, qui impiè docebant, Sanctissimam Virginem non dedisse Filio Dei Corpus humanum ex propriâ suâ substantiâ, sed quòd ipse habuerit Corpus suum è cælo, quòdque illud solummodò transierit per uterum MARIÆ, sicut radius solis transit per vitrum.

Post ipsum Imperatores Leo & Justinianus ostenderunt, se æstimare MARIAM velut Reginam suam, credendo se longè feliciores ipsius servitio, quàm imperiorum suorum Dominio.

Vuu Post

Regina ex jure naturali.

Damasius lib. 4 de fide cath. 17.

R. Rosaria in specul. 31.

R. Bernardus super Jer. 6. a. 21. 6. 6.



Post hos duo Andronici, Senior & Junior, reciproca quadam emulatione reveriti sunt ipsam velut Reginam ac Dominam; Imperator Joannes Comnenus, qui nonnullos post annos Imperij tenuit clavum, non solum respexit illam velut Reginam suam, sed ipsius imaginem currui triumphali magnifice Jerosolymis impostam per omnes vicas & plateas civitatis venerabundus deduxit post insignem victoriam, quam auxiliante ipsa obtinuisse se credidit de Scythiis aliisque Barbaris.

Devotio plurium Monarcharum erga Sanctissimam Virginem.

2. Inter Imperatores Latinos, Carolus Magnus primus Occidentis Imperator & Rex Galliarum summe celebratur ex eo, quod plurimas in Saxonia, & Germania & in toto Imperio honori Sanctissimae Virginis erexit Ecclesias. Ludovicus Pius ipsius Filius ita illius exarsit amore, ut nullum concesserit in locum, ne quidem, dum venatum ivit, quin portaverit semper secum Sanctissimae Virginis Imaginem. Henricus secundus non minus suam demonstravit devotionem, dum vixit cum Cunegunde Coniuge sua in perpetua castitate in honorem Virginis Sanctissimae. Omnes hi magni Principes respexerunt Sanctissimam Virginem velut supremam Imperiorum suorum Dominam.

Post hos Henricus septimus, Fridericus tertius, Albertus Secundus, Carolus Quintus, & Ferdi-

nandus Secundus, qui tot insignes reportavit victorias de Turcis & haereticis sub protectione Sanctissimae Virginis. Hi omnes potentissimi Monarchae sua submitterunt Imperia potestati ac dominio Divinae Matris Redemptoris sui, ipsamque velut suam honorarunt Reginam, ipsi velut Dominae suae praestiterunt obsequia.

3. Inter Reges Franciae, pluri mi voluerunt agnosci Sanctissimam Virginem, velut supremam Dominam omnium ditionum suarum. Philippus Augustus, qui expulit omnes Judaeos e toto regno suo, coquod Sanctissimam Virginem haberent contemptui. Sanctus Ludovicus, qui omnibus diebus Sabbathinis abluebat pedes pauperum, illos excolubatur, illis flexo inserviebat poplite in honorem Virginis Sanctissimae; quique fundavit tot Xenodochia, tot Monasteria tam virorum, quam mulierum, ut Sanctissima Virgo cole-retur in illis perpetuo, Ludovicus undecimus, qui nunquam non ex reverentia portavit Imaginem Sanctissimae Virginis pendulam e collo suo. Ludovicus decimus tertius gloriose memoriae, ut imploraret auxilium Sanctissimae Virginis in bello contra haereticos Regni sui, qui rebelles ac insolentes erant, nuncupavit votum solemne dedicandi ipsi ditiones suas illasque submittendi ipsius Dominio; obstru-

Plures Reges Franciae devotionem erga eam.

Reges Franciae devotionem



xit insuper totum Christianissimum hoc Regnum in perpetuum, ut confirmaret hoc votum annuatim processione solemnissimâ per omnes Civitates institutâ in Festo Assumptionis Virginis gloriosissimæ. Ecce igitur ipsam Reginam totius hujus Regni, quod nunquam non excelluit aliis in devotione erga Sanctissimam Virginem: Quis enim recensere poterit Episcopatus, Abbatis, & Ecclesias particulares in honorem Domine nostræ fundatas! Quis enumerare tot ac tanta loca ob devotionem & Sanctissimæ Virginis miracula per totam Franciam celeberrima: præcipuè postquam devotio Sancti Rotatij ibi sua sumpsit initia per pietatem Sancti Dominici.

Reges Hispaniæ eandem fovendam devotionem

4 Inter Reges Hispaniæ, Jacobus Primus Rex Aragoniæ cognomento Victoriosus, qui postquam eripuit tria regna è manibus Sarcenorum, mediante potentissimâ Intercessione Sanctissimæ Virginis, piæ gratitudinis ergo ex strui curavit Ecclesias bis millenas in honorem ipsius, quaque eum triginta præliis invalisset Mauros juratos Sanctissimæ Virginis hostes, & triginta reportasset Victorias, æstimabat Sanctissimam Virginem triecies plus esse Reginam omnium Ditionum suarum, quàm ipse Rex esset earundem: post ipsum Alphonsi, sextus & undecimus, Ferdinandus quintus, Joannes secundus, Philippus secundus & tertius,

omnes hi Principes, qui insignes exhibuerunt devotionis suæ erga Sanctissimam Virginem notas, ipsam semper reveriti sunt velut Reginam suam & Dominam suam.

5. Exaranda mihi foret proluxa Chronologia, si excurrere vellem in cætera omnia Christiadum regna, ad annotandum Nomina, non omnium Regum, sed solùm eorum, qui celebriores fuerunt in devotione erga Sanctissimam Virginem, quique devoverunt ipsi tum regna, tum Personas suas; sicut in Angliâ S. Eduardus, in Ungariâ S. Stephanus, in Lusitaniâ Alphonsus Primus, totque alij, ut silentio prætereamus innumerabilem multitudinem ducum & principum summorum, qui dominati sunt in cunctis alijs Ditionibus Christianitatis: consultò sum brevior in horum omnium enarratione, quæ nimis longè me abducerent, eòquòd aliud exin deducendum non sit, nisi quòd Sanctissima Virgo verè sit Regina & Princeps suprema ex omni jure, naturali, divino & humano.

Mirandum igitur non est, omnes confugere ad ipsam tantâ cum fiducia in cunctis necessitatibus suis, eòquòd certum sit, quòd JESUS Christus contulerit ipsi incomparabiliter majorem auctoritatem in toto suo Imperio, quàm unquam dederit suo Joseph Rex Ægypti; & si hic Rex suis dixit populis: *Ita ad Joseph*; per ipsum vo-

U u u 2. bis.



bis omnes concedam gratias: an JESUS Christus non dicat omnibus Christianis: *Ita ad MARIAM*, ite ad Matrem meam, omnes vobis dispertior gratias per illam. Et quid tribuere possit nobis perfectissimam erga Sanctissimam Virginem confidentiam, ut confugiamus securè ad ipsam in cunctis necessitatibus nostris, nisi nôsse; 1. Quòd ipsa absolutam habeat potestatem, nullis arctatam limitibus. 2. Quòd non minorem potestate suâ habeat benevolentiam & voluntatis suæ promptitudinem. 3.

Quòd & potestatem & bonam voluntatem suam deducat in effectum. Et si firmiter quis credit, ipsam posse omnia & facere omnia in favorem ipsorum, qui confugiunt ad illam, an continere se possit, quin integram & perfectam erga ipsam foveat in animo suo confidentiam? Hanc igitur confidentiam erga Sanctissimam Virginem in animo tuo concipe; clarè enim ostendam tibi, quòd ipsa possit omnia, quòd ipsa velit omnia, quòd ipsa faciat omnia in favorem fidelium servorum suorum.

## §. 1.

*Sanctissima Virgo potest omnia in favorem eorum, qui verè devoti sunt ipsi.*

**T**ua est potentia, tuum regnum Domine, tu es super omnes gentes oportet ante omnia præstare nos Deo hoc homagium ex toto corde nostro: Domine agnoscimus & confitemur, tuam omnem esse potentiam, omne Dominium in tuis solum esse manibus, teque solum infinità ratione transcendere ceteras omnes res creatas. Creatura nihil est, nihil potest, nihil facit ex se ipsâ; Ipsa non habet nisi portionem entitatis, quam placuerit tibi ipsi conferre; non habet nisi mensuram potentiae, quam volueris ipsi communicare; tandem nil facit, nisi quod concesseris facere ipsam. Sed augustissimæ tuæ est gloria Majestatis, quòd esse tribuas

illi, cui volueris, & in eo excellentiæ gradu, quo volueris; quòd communices ipsi potentiam eâ mensurâ, quæ placuerit tibi; quòdque tribuas ipsi facultatem patrandi prodigia tam stupenda, ut non solum exæquent illa Omnipotentis brachij tui, sed illa quandoque transgrediantur; sicut ipsemet clarè dixisti in Evangelio: *Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Joan. 14

Jam si unquam admirabilem demonstravit se Deus; id fecit in Personâ Sanctissimæ Virginis, conferendo ipsi esse tam nobile, ut absque comparatione excellat omnibus alijs rebus creatis, cum nihil sit, quod accedat vel à longè ad excel-



Excellentiam Matris Dei; & exin tribuendo illi potestatem tam absolutam, ut ejus videatur potentia imitari in omnibus Omnipotentiam Dei. Omnes intende animi vires ad percipiendam inter has comparisonem, quæ stupenda videbitur tibi. Omnipotentia Dei admirabilis potissimum videtur in tribus, quæ sunt, productio divinarum personarum, creatio mundi, & condonatio peccatorum facta hominibus; Jam potentia colata Sanctissimæ Virgini in eisdem hisce tribus excellit.

1. Si Omnipotentia Dei refugit præcipuè in divinitate ex hoc, quòd Deus possit producere Deum; Sanctissima Virgo adæquat ipsam in hoc, edquòd eundem in personâ producat Deum. 2. Si Omnipotentia Dei triumphat de nihilo per hoc, quòd per unicum solum *Fiat* è nihilo extraxerit totum hoc universum; Sanctissima Virgo magis adhuc videtur triumphare per hoc, quòd per unicum *Fiat* extraxerit proprium Filium Dei è profundâ abyssu divinitatis suæ, & fecerit ex eo Deum-Hominem. Compara ingens hoc universum, productum per *Fiat* Dei, cum JESU Christo, qui productus est per *Fiat* Sanctissimæ Virginis, quis negabit, quòd hoc absque comparatione transgrediatur illud? 3. Omnipotentia Dei manifestatur præcipuè, uti canit Ecclesiâ, ex hoc, quòd exhibeat misericordiam &

condonet peccata hominum: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendò maxime & miserandò manifestas:* Omnipotentia Sanctissimæ Virgini ex hoc quoque manifestatur potissimum, quòd ipsa sit Mater misericordiæ, & refugium pauperum peccatorum, quorum nec unicus recipit gratiam, nisi ipsa interveniente.

Quando formavit Deus primum Adam, accepit unam ex costis ejus, & ædificavit ipsi ex eâ mulierem, ut proprijs Scripturæ verbis titat, voluitque ut locus ossis hujus repleatur carne: *Et replevit carnem pro eâ;* id est, abstulit illi robur, & contulit illi infirmitatem: Sed totum contrarium accidit in formatione secundi Adam; accipit infirmitatem feminæ, cujus assumit carnem, ad componendum ex eâ Sanctissimam Humanitatem, dumque accipit infirmitatem Matris, ut conferat illam Filio, sumit fortitudinem & robur Filij, ut conferat illud Matri; ipsa donavit illi cor humanum, in quo sentit & experitur ipse affectus & teneritudines misericordiæ, quos non habebat in sinu Patris sui; & ipse in remunerationem reddit illi robur & effectum misericordiæ, quam attulit è sinu Patris sui, & vult hanc exerceri ab ipsâ in favorem pauperum peccatorum: ipsa communitat illi sanguinem pretiosum, quem torrentis in morem effundit pro redemptione omnium peccatorum;

Uuu ; &

Gen. 2. v. 21.

Quæ ratione potentis Sanctissimæ Virginis adæquet illam Filij sui.



& ipse in recompensationem refundit illi applicationem infiniti hujus pretij, & distributionem gratiarum, quæ fluuat è corde suo cum sanguine. O divina MARIA! quàm admirabilis est potentia tua! nullis videtur ipsa arctari limitibus, haud magis, quàm illa Dei; nisi quòd Deus hanc habeat potentiam à semetipso, tūque illam acceperis à Deo, sicut ipsamet confiteris, maximo cum gratitudinis affectu: *Eccis mihi magna, qui potens est.*

Luc. 2.

**Sanctissima**  
Virgo tantam accepit potentiam, ut impendat illam pro nobis,

Hem! cur magnam hanc ipse potentiam tuis consignavit manibus? Non, ut illam utaris pro te ipsa; ipse enim tui suscepit curam, teque cætenus exaltavit, quatenus exaltari se voluit. Est ideò, ut impendas illam in favorem pauperum peccatorum; Est ideò, quia vult ut omnes confugiant ad te, velut ad Matrem misericordiz. Verum est, Deum esse *Patrem misericordiarum*; sed ipse est etiam, qui respicit terram, & facit eam tremere. Verum est, Filium ipsius Unigenitum JESUM Christum exhibuisse nobis benignitatem suam; Verum est, ipsum esse Agnum, qui tollit peccata mundi; verum est, ipsum esse *Deum totius consolationis*; & ideò miseri peccatores majori confidentiâ confugiunt ad ipsum, exquirentes ipsius misericordiam, quàm ad Patrem æternum; nihilominus constat, omne iudicium datum esse illi, ipsūque ju-

dicaturum nos severissimo cum rigore in sæculorum fine.

Verum est, videre nos in illo Humanitatem nostram, quæ præbeat nobis confidentiam; sed non minus verum est, quòd suam retineat divinitatem & Majestatem infinitam, quæ incutiat nobis terrorem. Sanctissima Virgo contra non nisi puram habet misericordiam, absque ullo Majestatis timore, eòquòd Deus non sit, & absque terrore iudicij, eòquòd iudicis non teneat nec obeat partes: Ipsa Mater est, & Mater misericordiz, cui non nisi clementia sit ad compatiendum nostris miserijs, & potentia ad subveniendum illis. Ecce cur totus mundus prosternat se ad pedes ejus, absque timore repulsæ; cur omnes confugiant ad ipsam velut ad certum ac tutum salutis portum. Sanctus Bernardus colliquescit dulcedine hoc considerans, omnemque suam in illa collocat spem ac fiduciam: *Ad MARIAM recurro, pura siquidam humanitas est in MARIA; Filioli, hæc est cælorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.* Accedite, inquit vobis, confidenter ad MARIAM, invenietis non nisi humanitatem in illa charissimi Filij; ipsa scala cæli est, per quam descendit Deus ad peccatores, ut ascendere peccatores faceret ad Deum; ipsa maxima mea est fiducia, ipsa mea fulcimentum est spei.

Corfiliis  
confugietur ad  
Sanctissimam  
Virginem,  
quam ad  
Deum.

Sanctissimam  
lib. de  
cell. Virg.

Sanctus Bernardus  
de aquilone  
c. 1.

Sanctus  
Antoni  
nus par  
tit. 1. c.  
4.

Et.



¶ Anselmus  
lib. de Ex-  
cell. Virg.

Et S. Anselmus eodem cum af-  
fectu non metuit dicere, quòd ob-  
tinereatur quandoque citius postu-  
lata ab amabili hac Matre, quàm  
ab ipsius Filio: *Utique velocior non-  
nunquam est salus, memorato No-  
mine MARIE, quàm invocato  
NOMINE JESU, unici Filij sui.*  
Non, inquit, quòd illa sit melior  
suo Filio, vel potentior illo, cum  
non habeat nec potentiam, nec be-  
nitatem, nisi eam, quam accepit à  
Deo; sed quòd oporteat simul  
cantare Deo misericordiam & judi-  
cium juxta effatum Davidicum:  
*Misericordiam & judicium canta-  
bo tibi Domine;* quòdque si inter-  
dum deneget is nobis effectus mi-  
sericordiæ, nobisque administret  
justitiam, ex eo fit, quòd optimè  
simus promeriti illam; quòdque  
respectu Matris misericordiæ, nulla  
fiat mentio justitiæ, quam ipsa  
exercere non vult adversum nos,  
quàmque Filius ipsius Unigenitus  
exercere non vult adversus illam:  
Quando igitur impendit ipsa po-  
tentissimam suam intercessionem  
in favorem nostrum, mirum non  
est, si Deus concedat ipsius meri-  
tis, quòd æquissimè nostris ab-  
nueret demeritis.

¶ Antoni-  
nus part. 4.  
tit. 17. c. 17.  
14.

Sanctus Antoninus sapientissi-  
mè observat differentiam inter in-  
tercessionem caterorum omnium  
Sanctorum, qui sunt servi, & illam  
Sanctissimæ Virgini, quæ est Ma-  
ter: Sancti, qui non habent ali-  
quod jus, petunt gratiam cum hu-

militate, & Mater, quæ naturale  
habet jus in Filium, petit illam cum  
potestate; hinc est, quòd ipsa pa-  
tri non possit repulsam; Si Salo-  
mon dicat Bethsabee Matri suæ:  
*Pete Mater mea, neque enim fas  
est, ut avertam faciem meam à te;*  
an possibile sit JESUM Christum,  
qui plus est, quàm Salomon, ne-  
gare aliquid divinæ Matri suæ, quæ  
absque comparatione plus est,  
quàm Bethsabee? Auctoritas ip-  
sius tanta est, sicut doctus quidam  
scripsit Theologus, ut si ex suppo-  
sitione omnes sancti in cælo, &  
omnes Angeli beati, ex unâ parte  
postularent aliquid à Deo, & Bea-  
tissima Virgo omninè sola peteret  
ex aliâ parte ab ipso oppositum, ip-  
sius oratio prævaleret cunctis ora-  
tionibus totius curiæ cælestis: *po-  
terior esset majorisque efficacia &  
valoris apud Deum, Virginis,  
quàm reliquorum omnium Sancto-  
rum oratio.* Et sanè hoc optimè  
congruit sanæ rationi, siquidem  
nemo prudens est, qui non pluris  
æstimatet preces solius Matris suæ,  
quàm illas omnium servorum in  
domo suâ: Et consequenter ma-  
gis è re nostrâ est, ipsius posside-  
re favorem, quàm illum omnium  
Sanctorum simul. O Sanctissima  
Virgo, quantum hoc ijs emolu-  
mentum, qui singulari devotione  
honorant te! Si tuam possideant  
protectionem, quid poterunt ti-  
mere? Et si illorum curare velis sa-  
lutem, quis poterit obstare? O

MA.

3. Reg. 2.

Sanctissima  
Virgo po-  
stulat pro  
nobis cum  
potestate.

Suarez  
tom. 2.  
part. 5. disp.  
15. 5. 2.



Sola oratio  
Sanctissimæ  
Virginis  
prævalet  
cunctis ora-  
tionibus  
omnium  
Sanctorum.

*MARIA!* tantummodo velis salutem nostram, & salvi erimus. O Mater admirabilis! Tu potes omnia, quæ volueris; ah meam tantum velis salutem, & hujus habebo certitudinem. Ita, dicebam

ipsi, fateor, ipsam solam id posse; difficultas est nosse, an id velit. Oportet amovere hanc difficultatem, reposuit mihi Viator, tibi que ostendere, illam verè id velle, id que reipsa procurare.

## §. II.

*Sanctissima Virgo vult salutem fidelium servorum suorum, ipsamque magno cum zelo procurat.*

Psal. 173.  
7. 3.

**T**heologi docent, Omnipotentiam Dei consistere in divinâ ipsius voluntate, idemque ipsi esse, aliquid voluisse illudque fecisse. *Omnia, quæcumque voluit fecit.* Prærogativa est solius Omnipotentis Dei, consistere totam in voluntate ejus; potentia nostra non consistit in voluntate nostrâ, sed ex adverso voluntas nostra consistit in nostrâ potentia: dico potentiam nostram non consistere in nostrâ voluntate, siquidem non possumus omnia facere, quæ volumus; & verum est, voluntatem nostram consistere in potentia nostrâ, quia disponere circa ipsam possumus, sicut volumus.

Non nisi sola Sanctissima Virgo hæc fruitur prærogativâ, ut imitetur in hoc Omnipotentiam Dei, quod potentiam suam possideat in voluntate suâ, ita ut dici de ipsâ possit ratione quâdam, sicut de Deo: *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* Non opus est ipsi, quàm velle, & omnia facta sunt. Aspice

& admitare potentiam voluntatis ipsius, quam totam & integram impendit in favorem salutis nostræ. Inprimis, quando habuimus Salvatorem, nisi quando ipsa voluit? Nonne verum est, quod Pater æternus expectaverit consensum voluntatis ipsius, ad operandum Mysterium ineffabile Incarnationis in purissimo ipsius utero? postquam obtinuit Deum Hominem pro Filio suo Unigenito, quid facere voluit cum illo? ad quid impendit ipsa totam potentiam voluntatis suæ, nisi ad præparandum in ipso victimam, quæ immolari debebat pro salute omnium peccatorum? ardentissimus charitatis ipsius erga eos zelus eodumque excrevit, ut postquam produxerat hanc victimam ex parte sui ipsius, ipsam nutriret lacte suo, educaverat sollicitudine suâ, & impinguaverat, si ita loqui licet, propriâ substantiâ suâ, & denique deduxerat ipsam usque ad Altare Crucis, in quo sacrificari debebat; illa semetipsam obtulit cum illo, sustinens in corde suo eodum dolo,

Quanto  
charitatis  
ardore Sanctissima  
Virgo vult  
salutem  
nostram.



dolores, quos sustinuit ipse in suo Corpore, & moriens interiùs, sicut ipse exteriùs moriebatur, ut offerret eum ipso idem sacrificium pro gloria Dei, & salute omnium peccatorum. Sic Arnoldus Carnotensis celebris hic Bonæ Vallis Abbas eximie hoc declaravit: *Omni- no erat una Christi & MARIÆ voluntas, unumque holocaustum ambo offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine Carnis.* Filius in Cruce, & Mater ad pedem Crucis, non habebant nisi unam & eandem voluntatem; ambo offerebant Deo idem sacrificium pro salute mundi, ambo suum effundebant sanguinem; ille ex venis suis, & altera ex corde suo, eòquod ambo eodem extimularentur zelo ad moriendum pro salute omnium peccatorum. Interroga modò, an procurrere ipsa velit salutem devotorum sibi clientum, cum tanta, imò omnia facit pro omnium peccatorum salute: Nonne hoc est ferio velle aliquid, quando dicitur, ego me totum impendam, propriam meam profundendo vitam?

O Deus! quis effari possit, quanto cum ardentissima charitatis suæ zelo, ipsa se impenderit ad procurandam salutem nostram? Si labores, qui assumuntur ad procurandam salutem animarum, si opera, quæ huic navantur, si zelus omnium Prophetarum, omnium Apostolorum, & omnium

*St. P. Isaac Consultas, Tom. III.*

Prædicatorum, qui unquam fuerunt, & deinceps erunt in tota Ecclesiâ, essent ex unâ parte; ad- iunge his etiam zelum omnium Angelorum in cælo, & dicito exin audacter, quòd hæc omnia non adæquant zelum, qui flagrabat in Sanctissimæ Virginis corde, tum ad volendum, tum ad procurandum salutem animarum, eòquod dici possit, quòd Cor Matris æmuletur, sitque quasi Echo cordis Unigeniti Filij sui. Si ipsa igitur impendit magnum hunc zelum ad procurandam salutem animæ alicujus particularis sibi devotæ; anima hæc an æstimare se non possit fer- mè tam certam de salute suâ, ac si nomen suum inscriptum vidisset li- bro vitæ? Nolim tamen firmam hanc fidem ac fiduciam ingerere nisi ijs, qui verè devoti sunt erga Sanctissimam Virginem; Et tu ob- servaveris supra, quinam veri & fal- si devoti sint erga ipsam.

Sanctus Hieronymus declarare volens magnum Sanctissimæ Virgi- nis zelum pro gloria Dei & om- nium peccatorum salute, utitur verbis tam pulchris, tam efficaci- bus, tamque claris, ut mereren- tur incessanter enuntiari ex ore ho- minum omnium: *MARIAM to- tam incenderat divinus amor, ita ut in eâ esset amor continuus, & ebrietas perfusi amoris.* Afficmat, sacrum amoris divini ignem, totam ac integram inflammâsse Virginem, ita ut ipsa arderet continuo, & ex-

X. x. x.

cel-

Declaratio  
notabilis  
S. Hierony-  
mi circa  
magnitudi-  
nem amoris  
SS. Virgi-  
nis,



cessum, quo abripietur, tenuisse ipsam nunquam non in quâdam ebrietate, à quâ nunquam recedebat. Quis modus loquendi facundissimi hujus Patris? Nonne videtur nobis dicere velle, quòd, sicut ij qui ebrij, nunquam amplius reguntur ratione, nec aliquam servare possunt mensuram in omnibus, quæ agunt, sed potiùs abripi se sinunt à fortitudine vini sibi prædominantis; ita Sanctissima Virgo non servet nec regulam, nec mensuram, sed abripi se sinat à fortitudine amoris & zeli, à quo impellitur ad procurandam salutem animarum, potissimum autem sibi devotorum.

Meliùs est devotos nos esse erga solam Sanctissimam Virginem, quam erga

Si magni æstimandum est, devotione singulari, verâ ac solidâ prosequi aliquem Sanctorum, qui majori polleat apud Deum auctoritate, eòquòd hoc ipsum sit magno frui pro salute suâ subsidio: majore

ris igitur æstimandum est, devotum esse erga centum vel ducentos, & majoris adhuc erga mille, vel bis millenos, & majoris adhuc erga millionem, vel centum milliones: sed quando haberes omnes Sanctos in cœlo tibi addictos, utque omnes singularissimi essent tui Protectores, & quis eorum tuam curaret salutem, velut suam propriam; hæc devotio, quæ videtur tam efficax, tam ampla, tamque certa, tanti haudquaquam prodesset tibi, quanti sola & unica erga Sanctissimam Virginem devotio, eòquòd certum sit, ipsam solam plùs habere potentia, plùsque voluntatis faciendi nobis bene, quàm omnes simul habeant Sancti. Denique enim verum est, illam posse omnia, illamque velle omnia in favorem fidelium servorum suorum. Quid concludendum igitur restat, nisi.

### §. III.

*Quòd Sanctissima Virgo faciat omnia in favorem omnium sibi verè devotorum.*

**B**ONUM est posse, meliùs est velle, optimum est bene facere ijs, qui amantur. Non satis tibi sit, inquit Spiritus Sanctus in Scripturâ, diligere verbo aut linguâ, sed diligendum tibi est opere & veritate: Hoc ipsum est, quòd obstringere deberet omnes servitio Sanctissimæ Virginis; hoc attrahe-

re ad ipsam deberet devotos religiosissimos, quot alit mundus Christianos: ubique & incessanter videre est effectus devotionis erga ipsam in prodigijs, quæ patrat in favorem eorum, qui ipsius invocant subsidium; ita ut Sanctus Augustinus, & post ipsum Sanctus Bernardus provocent omnes ad exhiben-

2. JOH. 3.  
v. 18.



hibendum vel unicum, qui cum veritate dicere possit, se confugisse ad Sanctissimam Virginem in necessitate suâ, & absque solatio

ſ. Bernard.  
serm. 3. ſu-  
per millus  
est,

recessisse ab illâ: *Ille solus laudes hujus Virginis ſileat, qui ſideli prece appellatam, ſuis neceſſitatibus ſenſerit deſuiſſe*; certus ſum, nec unicum in toto mundo fore rependiendum.

Inutile igitur foret perſuadere velle hanc veritatem alicui, producendo millionum milliones exemplorum, quæ in ore verſantur omnium, quæ in omnibus leguntur libris, quæ conſpiciuntur in omnibus locis Sanctis ſpeciatiim honori Sanctiſſimæ Virginis conſecratis, vel exhibendo plures eorum, qui inſigne aliquod beneficium receperunt à Deo, mediante potentiſſimâ ipſius interceſſione, relinquentes aliquas gratitudinis ſuæ notas; ſed ne ultra te progrediar, aſſumo te ipſum in teſtem, quiſquis hæc legis: quot argumenta habes in teiſpo potentiſſimi ſubſidij, quod à Sanctiſſimâ Virgine recepisti in omnibus occaſionibus, in quibus invocasti ipſam ex toto corde tuo? percurrere oculis curſum vitæ tuæ, dicque nobis, quoties expertus id fueris? Nihil eſt, quod magis convincat te, quàm proprium experimentum tuum; ſi hoc nondum ſenſiſti, certum eſt, te hucusque Sanctiſſimæ Virginis non extiſſe devotum: Huic er-  
gò nava operam devotioni, exerce

te ferventer ac aſſiduè in ipſâ, & colliges exinde fructus, quibus compelleris ad conſtitendum illud.

Absolvam hanc Conſultationem exemplo tam inuſitato, ut dignum ſit memoriâ omnium ſæculorum. Cæſarius id reſert libro ſeptimo; & eſt exemplum trigefimum primum. Veritas hitoriæ eſt talis. In Cœnobio quodam Monialium, Virgo quædam nomine Beatrix, formæ eximiæ nec minoris prudentiæ, potiſſimum magnâ devotione addicta Sanctiſſimæ Virginis, præſecta fuerat officio Oſtiariæ, vi cujus occaſionem habebat alloquendi cujuſcunq; conditionis homines. Juvenis quidam ſimulabat primâ fronte, ipſam ſe summâ proſequi veneratione, in cujus locum illicò laſcivum ſubſtituit amorem; tam ardens fuit ipſius libido, ut abjectâ omni reverentia ſeſe declaraverit, ipſamque cæperit ſolicitare, idque modò tam artiſcioſo, ut quantocyùs eodem ſuo igne ſuccenderit infelicem hanc creaturam; ita, ut poſt aliqualem reſiſtentiam ipſa ſuccubuerit; Cùmque ampliùs vehementiam tentationis ſuſtinere non poſſet, acceſſerit ad Altare Sanctiſſimæ Virginis, quæ totius Monafterij & ipſius ſingulariſſima patrona erat, & collocans claves ſupra Altare, dixerit ingemiſcendò: *Servivi tibi hucusque eâ, quâ potui, fidelitate, ſed ſummam meam intueris infirmitatem, tentari me aſpicias ul-*

Cæſarius.

Exemplum  
ſtupendum  
de bonitate  
Sanctiſſimæ  
Virginis ex-  
ga ſibi de-  
votos.



tra vires meas, & amplius resistendi facultatem non habeo, nec animum: cura, si velis, portam Monasterij tui, fixum mihi stat deserere illud: hanc suâ declaratione factâ abijt cum dæmone se possidente.

Uc demonstraretur veritas philosophici hujus effati, quòd finis omnium voluptatum sit fastidium & averio, ubi primum miser ille suæ satisfecit libidini, despexit & deseruit illam; & sanè non aliud, quàm ejusmodi obsequium expectare debuerat à perfido illo, nec alium colligere criminis sui fructum: nihilominus cum prolapsam se videret in profundum adeò barathrum, non tantum non meditabatur reditum ad meliora, sed profundiori adhuc se immergit abyssso: Cum ergò amplius non haberet nec locum refugij, nec media se sustentandi, imitata est canes de quibus loquitur Regius Vates, qui, cum non habeant Dominum, à quibus nutriantur, crudelem sustinent famem, quâ impellente per totam circumvagantur civitatem, ut quibuscunq; obvijs sese poscant ac reficiant spurcitijs: *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* Hæc infelicitior adhuc his animalibus, publicè prostituit se deinceps non videtur nisi ex infami suæ impudicitiae stipendio.

Post exactos quindecim in abominandis hisce sordibus annos, curiositate ducta, sub e mentito ve-

sticu suum accessit Monasterium, quid diceretur de se, auditum; Cumque videret antiquum quandam domesticum ibi inservientem, interrogat illum: An nosti certam quandam Beatricem, quam videram olim hujus Monasterij ostiariam? Quòd devenit? Bene novi illam, respondit domesticus, educata est ipsa in hoc Monasterio ab infantia suâ, & video illam ferme quotidie; Est optima & prudentissima Virgo religiosa, quæ semper hucusque tenet munus ostiariæ tantâ cum fidelitate, tali que cum exemplo, ut omnes ædificet summè. Hæc tota attonita ex eo, quòd audiebat, & non capiens, quid sibi hoc vellet, reversa eadem de tota cogitabunda: vix fuit extra portam, apparuit ipsi Sanctissima Virgo in formâ, ut cognosceretur ab ipsâ, his ipsam allocuta verbis: Inservieras mihi olim devotè, & à quindecim annis ego inservio tibi, tanta miseriarum tuarum commiseratione; ego hucusque partes egi ostiariæ, concredidit tibi exantlavi munus, apparui exteriùs, qualis tu eras, & creditum est ab omnibus, ipsam te esse; inhibui rigorem justitiæ Dei precibus meis, conservavi honorem tuum coram oculis creaturarum, & nemini quidquam constat de facinore tuo. Revertete modò in locum tuum, advertet nemo, te illum deseruisse; sed resume quoque prima sensa, vota, exercitia, qui

Psal. 58.  
v. 15.



quibus addita fueras ante lapsum tuum; adjuge etiam alia pœnitentis opera, & perpetuè lauda Deum ob exhibitam tibi misericordiam, quâ extraxit te è fundo abyssi. Quantus stupor! quanta admiratio perculserat ipsam!

Tam efficaciter ex hoc commota fuit in intimo cordis sui, ut tota quamprimum mutata fuerit in aliam; & post diversos affectus, timoris, pudoris, spei, pœnitentis, confidentis & d'fidencis, quibus ipsius oppugnabatur cor, suum prosecuta est munus, ac si nunquam id interrupisset. Diuturna hæc & funesta vitæ ipsius catastrophe mansisset semper incognita, nisi ipsamet horrendi sui criminis tacta dolore, & tota abrepta stupore, ob incomparabilem Matris misericordiæ erga se bonitatem, id aperuisset, ad opertiendum se confusione, quàm suo merebatur facinore, & ostendendam gloriam, potentiam & admirabilis fructus devotionis erga Sanctissimam Virginem: Exin teverissimam exegit pœnitentiam, & incessanter dicebat in corde suo, sapiusque proferebat ore: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

O Mater admirabilis! O Serenissima Angelorum hominumque Regina! O dignissima Mater Dei! Tu semper miserorum refugium es peccatorum: Tuâ bonitate conservatur mundus, qui periret suarum demersus diluvio iniquitatum, absque potentissimâ tuâ intercessione. Tu es consolatrix afflictorum, tu sustentas infirmos, tu desperatissimos erigis, tu profligatissimos à suis relevas malis; tu Apostolos mirabiliter reconciliasti cum DEO. Nomen tuum est remedium omnium infermitatum; memoria tua est lenimentum omnium amaritudinum; Et potentia tua est terror inimicorum salutis nostræ. Recipe nos in tuam protectionem, O amabilis Mater misericordiæ? ad mille nos in numerum servorum tuorum O potentissima Regina cœli & terræ! infunde nobis puram & perfectam devotionem erga te; ut mentes nostræ post Deum summâ te prosequantur veneratione; ut omnes linguæ nostræ benedicant te, ut omnia corda nostra diligant te; accende illa quotidie ardentiori zelo honorandi te, famulandi tibi. Amen.

\* \* \*

